ב״ב

DISSERTATIONEM THEOLOGICAM

De

THEOLOGIA DANIELIS,

JUDICE DEO,

Sub Præſidio

VIRI

Magnifici, Plurimum Reverendi,

Ampliſsimi Excellentiſsimique

DOMINI

BALTASARIS BEBELII,

SS. Theol. Doct. ejuſd. Profeſſ. Ord.

h. t. Acad. Argent. Rectoris graviſſimi,

Patroni, Præcept. & Avunculi ſui,

Immortali veneratione & cultu ſuſpiciendi.

IX. Aug. M. DC. LXXXIII.

Publicè horis locoque ordinariis tuebitur

M. DANIEL PFEFFINGER, Argent.

P. L. C.

ARGENTORATI,

TYPIS JOHANNIS WELPERI.


VIRO
Magnifico, Amplissimo, Prudentissimoque
DOMINO
JACOBO VVENCKERO,
ARGENTORATENSIUM CONSULARI GRAVISSIMO,
Evergetæ & Hospiti suo Gratioso,
M. DANIEL PFEFFINGER
S. P. D.

F*Actum, quod vides,* Mecœnas Amplissime, *si vel temeritatis, ulliusve impudentiæ convinci posset, promiscui ferè (si fas foret) alterius præsidij admissa sejunctione, sola temporis* felici-

felicitas excusaret & tueretur. Natales Tuos *id nobis hodie reddit, & quidem tanto Illustriores, quantum inanimadversos propemodum anno præcedente Consulatus Patrii molestia celebrari prohibuit.* Dulce *juxta & proficuum est, Naturam insuper ipsam quasi præsagiisse, non parvum fusis simul & fundendis supplicationibus momentum accessurum esse, prodendoq; civium gaudio, si in eâ Te rursus sinus sui partẽ collocaverit, ubi nil nisi salutare sensisti ipse & nos sensurum speramus. Me decuit ergo Festivitatem hanc qualitercunque congratulari, junctisque unà pro optata fonticuli*

salu-

ſalubritate votis, Diſſertationi huic Theologicæ Nomen Tuum præfigere: Ut ſolenne nimirum non intermoriture erga Parentem *obſervantiæ ſymbolum, fidelisque erga* prolem *diligentiæ obſidem exhiberem & conteſtarer. Sereno propterea vultu admittas,* Laudatiſsime Patrone, *quæ Tibi debentur, filialiq́ confidentia transmittuntur, & Domeſticum Tuum ulteriori gratia amplectere, ardentiſsimè ſupplicantem: Ut Fons Boni & remunerator* Natales Tuos *in æternum augere, & cœleſti beatitudine defectus meos compenſare velit. Vale. dabam Arg. è muſ. 12. Cal. Aug. M. DC. LXXXIII.*



Q. D. B. V.

PROOEMIUM.



Um JESUS Christus, Prophetarum caput, & maximus, dissereret de abominabili desolatione tum adhuc futura, allegat *Danielis* Prophetiam c.IX.27. Et præcipit, ut lector ad *animum eam revocet* Math. XXIV.15. quomodo & Danieli ipsi imperatum fuerat Dan. IX. 23. ad quæ verba B. Hieronymus notat: *Si Danieli dicitur: Diligenter attende, ut audias & intelligas quod vides, quid nos facere oportet, quorum oculi ignorantiæ tenebris & caligine vitiorum obcæcati sunt?* Et paulo post adjungit ex Eusebio: *Quæ observatio cautam atque solicitam videtur expetere rationem, ut Lector diligenter attendat, & caussam divisionis attendat.* Quare & nostrarum erat partium, Danielis prophetiam, & mysteria in ea contenta sedulo & devote meditari, hoc potissimum tempore, quo aliquis & insignis quidem ejus usus esse potest, & Pereximius Dn. M. Respondens materiam disputandi publice à nobis efflagitaret. *Daniel* ei nomen est, quale & Prophetæ fuit, de Daniele igitur nostram meditationem mutuari debuimus, & voluimus: Sed non illo Davidis Filio, qui sic vocabatur. 1, Paral. III. 1. neque de Ithamaris filio, qui & ipse sic nuncupatus est. Esd.

VIII. 2. Multo minus de fabuloso illo, cujus mentio fit in historia Susannæ; aut aliquo Eremita, vel alio in historia Ecclesiastica nominato, vel quotidiana experientia claro; Neque enim hi materiam scribendi idoneam nobis suppeditassent; Verum de Propheta, quem איש חמדות *virum desideriorum* ipse summus Propheta Dan. X. 11. appellat. Scripsit ille suam prophetiam, & egregia inseruit *dogmata*, ex quibus aliquod *Theologiæ compendium* contexere licet. *Theologia* notat interdum unam tantum vel alteram ejus insigniorem *partem*, ex. gr. articulum de deitate Christi, *quando hactenus*, ait Gregorius Nazianzenus, *de DEO disputatum sit, quod ad præsens spectat; Nihil enim plura his attinet dicere*, ὅτι μὴ θεολογία τὸ προκείμενον ἡμῖν, ἀλλ' οἰκονομία. *Quoniam non de deitate propositum est modo agere, sed de incarnatione.* Orat. XXXVIII. Et Nazianzeni commilito, Basilius, cavet, ne τῇ θεολογίᾳ προσέχοντες τῆς οἰκονομίας καταφρονῶμεν *in Theologiam intenti assumpti hominis mysterium contemnamus.* Epist. CXLI. Interdum vero denotat *totum* rerum divinarum Systema, quo sensu nos h. l. accipimus, dum *ea quæ de Propheta* (de articulis fidei) *dicta sunt nostris disserere Christianis* (ut cum Hieronymo epist. ad Pammach & Marc. loquamur) constituimus. Faxit DEUS, ut feliciter ordiamur, progrediamur, & finiamus!

THESIS I.

CUm Theologia, ut & alii habitus Practici, suum habeat principium, fines, subjectum, media, contraria, & remedia, igitur ea methodo etiam nos utamur, & consideremus. I. *Principium* divinum, quod fidem divinam generat, conservat, & confir-

confirmat, quod dicimus esse verbum divinum in scripturis contentum. Probatur ex Dan. IX. 2. ubi Propheta meminit בספרים *librorum*, nempe sacrorum & divinorum, in quibus describuntur anni captivitatis Babylonicæ, quamdiu durare hæc debeat, nempe annos LXX. juxta prophetiam Jeremiæ cap. XXV. 12. XXIX. 10. Hoc vaticinium excitavit Prophetæ fidem ad serias preces fundendas, ut illæ complerentur, & liberatio executioni mandaretur. *Prædixerat Jeremias septuaginta annos desolationis templi, post quos rursus veniret populus in Judæam, & ædificaretur templum & Hierusalem: quæ res Danielem non facit negligentem, sed magis provocat ad rogandum, ut quod DEUS promisit per suam clementiam, per horum impleat preces, ne negligentia & superbia pariat offensam.* Ita Hier. in comment. ad l. cit. Sicut igitur scriptura Jeremiæ principium fuit, quod excitavit devotas Danielis preces, ita etiam principium fuit, quod fidem ejus divinam vel accenderet, & informaret, vel confirmaret de LXX hebdomadibus captivitatis duraturæ. Eadem auctoritas est etiam Danielis. Nam in procemio allegavimus relationem Matthæi, c. XXIV. 15. ut Christus auditorem & lectorem remiserit ad vaticinium Danielis de abominatione desolationis, futuræ in loco sancto, Dan. IX. 27. Nisi Daniel fuisset fidei principium, & Christus idem statuisset, frustranea fuisset illa allegatio, utpote quæ non genuisset, vel confirmasset, fidem divinam. Eodem digitum intendit Propheta, quando cap. XII. 1. refert verba Angeli de salvandis iis quorum nomina in *libro* extant: *liber autem ille, in quo scripti dicuntur qui liberandi sunt, nihil aliud est, quam Prophetarum & Apostolorum monumenta, quæ nobis unam salutis anchoram, unumq; mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum, proponunt: in quem qui credit habet vitam æternam, qui vero non credit non habet vitam, sed ira DEI manet super eum.* Verba sunt B. Dn. D. Pappi, ex commentario in l. cit. De hac voluntate divina denuo certi non sumus, nisi liber, in quo de ea habetur, sit principium fidei. Intelligimus autem librum istum ipsum, & genuino quidem sensu acceptum, non autem qualescunque ejus Interpretes, vel monumenta; In his enim nonnunquam quædam sunt, quæ verbo divino non competunt, nec credenda sunt, e. gr. Historia Susannæ, relationes & commentaria nescio cujus Hippolyti Romano-

rum Episcopi & Martyris, Dorothei, Sulpitii Severi, & qui horum quædam somnia & fabulas ex recentioribus suas fecerunt: *Sed & hoc nosse debemus, inter cætera Porphyrium de Danielis libro nobis objicere, idcirco illum apparere confictum, nec haberi apud Hebræos, sed Græci sermonis esse commentum, quia in Susannæ fabula contineatur, dicente Daniele ad Presbyteros, ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι, καὶ ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, quam Etymologiam magis Græco sermoni convenire, quam Hebræo. Cui & Eusebius & Apollinarius pari sententia responderunt, Susannæ, Belisque, ac draconis fabulas non contineri in Hebraico; sed partem esse Prophetiæ Habacuc filii Jesu de tribu Levi; sicut juxta LXX Interpretes in titulo ejusdem Belis fabulæ ponitur: Homo quidam sacerdos erat, nomine Daniel, filius Abdæ, conviva Regis Babylonis, cum Danielem, & tres pueros de tribu Juda fuisse, sancta scriptura testetur. Unde & nos ante annos plurimos cum verteremus Danielem, has visiones obelo prænotavimus, significantes, eas in Hebraico non haberi. Et miror quosdam μεμψιμοίρους indignari mihi, quasi ego decurtaverim librum, cum & Origenes, & Eusebius, & Apollinarius, aliique Ecclesiastici viri ac Doctores Græciæ, has, ut dixi, visiones non haberi apud Hebræos, fateantur, nec se debere respondere Porphyrio pro his quæ nullam scripturæ sanctæ auctoritatem præbeant.* Ita sonant verba literarum, quas B. Hieron. ad Pammachium & Marcellam scripsit. Ex quibus videre possumus, etiam veterum judicio, non omnia, quæ Danieli tribuuntur, habere eam auctoritatem, ut pro fidei principio habeantur, idque ob caussas in ipsa cum canonica, tum apocrypha, scriptura contentas.

§. 2. *Verbum, quod in scripturis sacris continetur, DEus inspiravit, & literis consignari jussit.* Quod DEUS inspiraverit, patet ex collatione rerum contentarum cum divina omniscientia & præscientia etiam contingenter futurorum. Daniel Cap. II. 30. fatetur, somnium Regis, ejusque significationem, sibi revelatam esse non ex sua sapientia, sed aliunde, nempe divinitus, dum rogavit DEUM, ipse, & socii, ut mysterium istud, sibi revelaret, quod & factum est, eodemque nomine gratias Daniel DEO persolvit, vers. 18. 19. 20. &c. Hactenus igitur recte dixerant Chaldæi, non esse *in ullius meri hominis potestate* dicere,

quod

quod Rex peteret, ℣. 10. *Confitentur magi, confitentur harioli, & omnis scientia secularis literaturæ, præscientiam futurorum non esse hominum, sed DEI, ex quo probatur, prophetas DEI Spiritu locutos*, (adeoque & scripsisse) *quæ futura cecinerunt.* Argumentum est Hieronym. ad Dan. l. cit. Quod repetit ex vers. 11. ubi refert verba Danielis ad Regem: *Tollit*, inquiens, *quoque Regi pravam suspicionem, ne humanæ æstimet inveniri posse solertia quod DEI solius notitiæ reservatur.* Cum quibus sentiens Manuel Caleca scribit, ἴδιον τοῦ θεοῦ ἔργον δείκνυται ἐν ταῖς εὐχαῖς ἡ τῶν μυστηρίων ἀποκάλυψις, *Proprium DEI opus monstratur* (Dan. II. 28.) *Inter preces revelare mysteria. Dicit enim Daniel: Est DEUS in cœlis, revelans mysteria.* Sic ille de princip. fid. Cath. t. II. Bibl. Patr. auct. fol. 220. B. C. putat autem verba ipsius Danielis, quibus ad Regem locutus est. Confirmatur ex c. IX. 24. seqq. ubi habetur vaticinium de LXX hebdomadibus Danielis, quæ quidem alias vehementer controversæ sunt, in eo tamen plerique omnes conveniunt, quod agant de re tum temporis adhuc futura: Diversæ sunt sententiæ Africani, Eusebii, Hippolyti, Appollinarii, Clementis, Origenis, Tertulliani, quas Hieronymus ad loc. cit. recenset, constans tamen est opinio, quod verba ista de re futura agant, adeoque de mysterio aliquo divino; *Hæc non frustra & absque inspiratione Dei Angelum respondisse, manifestum est.* Scribit Hieron. ad l. cit. maxime si respicimus ad Christum, de quo vaticinatur: Quod nemo potest, nisi Deo revelante, Matth. XVI. 17. Joh. I. 18. Eph. I. 9. 10. Imprimis adeo clarè, ut Daniel vaticinatus est, quem ea propter Porphyrius mentitus est posteriorem, quam vulgo traditur, fuisse, vid. Hieronymum in præfat. ad Dan. comment. Accedit DEI ipsius sermo, interdum veluti ἀπὸ μηχανῆς factus, vide eundem Hieron. ad Dan. IX. 2. quem nemo hominum, nisi impudens impostor, DEO adscriberet, nisi ipse ille fuisset elocutus.

§. 3. Quod vero idem DEUS etiam *scribi* jusserit, probatur ex Dan. XII. 49. (4.) ubi Daniel jubetur obsignare הספר *librum*, nempe in quo scripserat futura, quod mandatum ut divinitus erat profectum, ita liber quoque erat divinitus, unde Christus quædam deprompsit Matth. XXIV. 21. Tales divini scriptores erant etiam Moses, ex cujus Deut. cap. XXVIII. 15. quædam

 alle-

allegat cap. IX. 11. Et Jeremias, qui de LXX hedomadibus vaticinatus fuerat, verſ. 2. Laudati etiam in Nov. Teſt. tanquam DEI Miniſtri & rerum myſticarum ſcriptores. Luc. XVI. 29. Matth. II. 17. *Qui Danieli multiplicem revelaverat veritatem, ipſa occulta eſſe ſignificans, quæ locutus eſt, præcepit, ut involvat ſermones, & ſignet librum, ut legant plurimi, & quærant hiſtoriæ veritatem.* Scribit Hieron. ad Dan. XII. 4. Confirmatur ex fine ſcriptionis, qui eſt fidem accendere, & per fidem vitam æternam largiri. Joh. XX. ult. propter Meſſiam, ſeu Chriſtum; de quo vero omnes prophetæ, adeoque & Daniel, isque luculenter, teſtati ſunt qua voce, qua ſcriptis. Actor. X. 43. XXVI. 22. Idem confirmatur ex mandato Chriſti Matth. XXIV. 15. dum jubet lectorem Danielis mentem inter legendum adhibere, quod non feciſſet ille DEI Filius, niſi ſciviſſet, DEO revelante & mandante Danielem iſtud myſterium ſcripſiſſe.

§. 4. Patet hinc, quod principium rerum divinitus credendarum & faciendarum ſit *ſolum* DEI verbum, non vero ullius alicujus *creaturæ*, ſive Angelus ſit, ſive homo, *dictum, ſcriptum, traditio*, vel ſimile quid. Daniel c. VI, 5. & 10. obſervabat in precibus ſuis *legem Dei*, adeo ut adverſarii ipſius cauſſam contra ipſum invenire non poſſent, niſi בדת אלהה *in lege DEI ſui.* Neque obſtat, quod Rex Nebucadnezar *Danielem* dicatur *adoraſſe*, Dan. II. 46. Nam verſ. 47. ſtatim ipſe innuit, quod adoraverit verum *DEUM*, qui arcana iſta revelaverat: *Ergo non tam Danielem quam in Daniele adorat DEUM, qui myſteria revelavit.* ait Hieron. ad l. cit. Contra autem Sophi Chaldæi, ut non poterant Regi indicare ſuum ſomnium, & ejus ſententiam, ita nec digni erant, in quos Rex ſuam fidem reſolveret: *Qui verax deprehenditur in uno, idem talis quoque præſumitur in altero, & viceverſa. Papa etiam pro Cathedra pronuncians fallibilis eſt deprehenſus in quæſtionibus momenti minoris: Qui ergo infallibilem ſe interpretem judicemque venditare poteſt in articulis gravioribus, imo, ut ipſe vult, in omnibus?* Interrogat B. Dn. D. Gejer. ad Dan. II. 9. num. 3. & ad verſ. 47. *Multa diu crediderunt multi cum Nebucadnezare, quæ tamen non ſunt ex veritate: communis enim hominum morbus eſt falſis laborare opinionibus præconceptis, multa tanquam falſa & inſipida deſpuere, quæ ſucceſſu temporis liquida deprehenduntur veritatis,*

ritatis. Pulchre Quintilianus lib. X. cap. I. & cum hoc Melchior Canus lib. XI. LL. c. 6. p. m. 658. Neque id ſtatim legenti perſuaſum ſit, omnia, quæ magni auctores dixerunt, utique eſſe perfecta. Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati: Nec ſemper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur, cum Ciceroni dormitare interdum Demoſthenes, Horatio vero Homerus ipſe, videatur. Summi enim ſunt, homines tamen: à quibus nimirum nihil humani alienum eſt, ſi extra orbitam verbi divini exſpatiantur.

§. 5. *Verbum DEI ſeu ſcriptura ſacra divinitatis & credibilitatis ſuæ argumenta in ſeipſa habet, ex quibus poteſt cognoſci, DEI eſſe verbum & ſcripturam.* Aſſertum hoc fluit ex prioribus. Continet enim in ſeſe *vaticinia*, quæ originem ſuam non niſi ex DEO omniſcio, & præſcio rerum, etiam contigenter, quod cauſſas ſecundas attinet, futurarum, acceperunt: Eadem continet etiam *myſteria*, quæ omnem hominis rationem & captum tranſcendunt, ut eſt myſterium de Chriſto, paſſuro, morituro, reſurrecturo, aſcenſuro, ſeſſuro ad dextram, & ſalvatore humani generis futuro, ſublata lege Moſaica; ſicut viceverſa libri apocryphi etiam in ſeſe habent argumenta, ex quibus concludere poſſumus, *ſepoſita etiam omni hominum auctoritate, ea ſcripta non eſſe ex inſtinctu divino, vel paris auctoritatis eſſe cum libris canonicis.* Refert Hieronymus in literis ad Pammachium & Marcellam ſcriptis, quod Euſebius & Apollinarius Suſannæ, Belisque, & draconis fabulas exploſerint contra Porphyrium, ideo, quod nec in Hebræo habeantur, neque cum hiſtoria canonica conveniant; *Et nota*, ipſe concludit Hieronymus ad Dan. II. 25. *quod de Filiis Juda ſit Daniel, non ſacerdos, ſicut in fine Belis fabula continet.* Genuinum Danielis ſcriptum, quod Eccleſiæ Hebræo-Chaldaicæ Rom. III. 2. IX. 4. concreditum eſt, conſtat ex *Idiomate* partim *Hebræo*, partim *Chaldæo*, quas duas linguas Eccleſia tum temporis familiares habuit, & intelligebat. vid. Hieron. ad Dan. III. 23. & ad cap. VII. verſ. ult.

§. 6. *Scriptura ſacra ab omnibus ἐντάκτοις, legi & intelligi poteſt, & debet, tanquam clara.* Quod ſcriptura ſacra *vernaculo idiomate* conſcripta ſit, modo probavimus; quo vero id alio fine, quam ut *legeretur* & *intelligeretur* ab omnibus Lectoribus?

bus? Innuit hoc Christus Matth. XXIV. 15. quando mentionem facit ἀναγινώσκοντος *Lectoris* scriptorum propheticorum, quem vult quemvis esse, quandoquidem quivis homo debeat judicia divina nosse, & vitam æternam obtinere. Fatemur quidem, quædam in scriptura sacra esse *obscura*, ut sunt vaticinia, ipsa tamen *vocabula* non sunt obscura, & dedit DEUS interdum etiam *Interpretes*, cum homines, tum Angelos, per quos sensum etiam rerum Lectoribus, vel Auditoribus detexit. Obscurum erat somnium Nebucadnezaris, Dan. IV. sed Daniel illud explicuit, divinitus illuminatus, vers. 16. seq. Obscura etiam scriptura in pariete, sed Daniel lectione & explicatione illam illuminavit. V. 5. 26. 29. seqq. Confer cap. II. 27. Neque amplius obscura sunt, si *complementum* accedat. Hieron. ad Dan. VIII. 26. observat: *Ex verbo ostendens signaculum, obscura esse quæ dicebantur, & non patere multorum auditui, nec posse ante intelligi, nisi rebus & operibus impleantur.* Et ad c. IX. 22. *Tam obscura est*, ait, *visio, ut Propheta Angeli doctrina indigeat.* Hæc ille ad verba: *Et intelligere fecit me &c.* Contingit etiam, ut certis quibusdam *regulis* hermeneuticis observatis ad solidam obscurorum verborum notitiam pervenire possimus. Ex. gr. scriptura interdum loquitur in V. T. verbis usurpatis de rebus Novi Testamenti, quod patet ex Dan. XII. 11. ubi per *juge sacrificium* intelligit *cultum publicum* in N. Test futurum. vid. B. Dn. D. Pap. comment. in Dan. loc. cit. Sed & *DEI ope* opus est, quæ propterea seriis precibus est roganda, & ipse lector quoque diligens debet esse. Dan. IX. 2, 3. X. 16. seqq. quod aliquis instar hominis visus tetigerit Prophetæ labia, ut loqueretur, & consternatum efficaciter erexerit. *Vult Daniel, nos in hac revelatione attentos esse, & diligenter protestatur, veram esse hanc revelationem, & de rebus maximis in illa agi.* Scribit idem B. D. Pap. ad Dan. X. 1. *Intelligentia enim est opus in visione.* Quibus congruit, quod Hieronym⁹ notat ad Dan. XII. 4. *Qui Danieli multiplicem revelaverat veritatem, ipsa occulta esse significans quæ locutus est, præcepit, ut involvat sermones, & signet librum, ut legant plurimi, & quærant historiæ veritatem.* Quandocunque ergo dicimus, scripturam esse *claram*, etiam quoad *nos*, requirimus etiam *media*, intelligendi ipsius sensum, quæ si quis neglexerit, non miretur, si non intelligat scripturam: *Cum*

finis

finis advenerit, impii non intelligent: & qui docti fuerint, disciplina DEI, ipsi intelligere poterunt, in perversam enim animam non introibit sapientia; nec potest se infundere corpori quod peccatis subditum est. Idem notat ad Dan. XII. 10. ad verba: *Et non intelligent &c.* Cujus vero cœcitatis & impietatis culpa est, nisi hominis?

§. 7. *Sacra scriptura efficax est ad effectus supernaturales producendos.* Loquimur autem de scriptura sacra in & quoad *sese* considerata. Hoc quoque respectu dicimus eam esse efficacem, & efficaciter operari, *justa applicatione posita.* Verbum DEI fuit, idque deinde in literas sacras relatum est, quod Daniel exposuit Nebucadnezari, eoque, seposita etiam Ecclesiæ auctoritate, ita commotus est Rex ille, ut divinos DEO honores deferret, & ingenuam confessionem ederet. Dan. II. 46. 47. Gum divina manus scriberet in pariete, Belsazer, qui vidit, exhorruit, & percepta explicatione Danielem eximie remuneratus est, c. V. 6. & 29. Prophetia Jeremiæ, de LXX hebdomadibus captivitatis, produxit in Daniele devotas preces. cap. IX. 2. 3. seq. Scriptura, quam consignare & obsignare idem jussus est Daniel, multis *intelligentiam* allatura erat. c. XII. 4. Erat hæc efficacia divina & supernaturalis, quare & verbum divinum ea fuisse præditum necesse est.

§. 8. *Articulus de vero DEO ejusque essentia, attributis, & operibus, tanquam finis materialis, est cognitu necessarius.* Dan. IV. 14. Judicium DEI de Nebucadnezare ambitioso ideo erat decretum, & deinde executioni datum, ut homines *nossent*, quod sit summa DEI potestas & libertas in dandis vel adimendis regnis humanis. Quare DEUS vult, ut homines eum, quantus sit, cognoscant, & opera sua ad ejus mandatum componant; secus si fecerint, damna incurrant, ut incurrit Nebucadnezar, sicut & Belsazer. c. V. 21. seqq.

§. 9. Loquimur autem de DEO *vero*; alias enim & *falso* sic dicti hac voce nuncupantur, quale quid fecit Nebucadnezar. c. II. 47. dum usurpat vocabulum אלהין, quod tribuit etiam aliis Diis quam vero Hebræorum. Hugo Grotius putat, indicare ipsum distinctionem inter gentilium Deos majores & minores; Ita enim scripsit ad ea verba: *Exceptis Diis, quorum non est cum hominibus conversatio.* (Dan. II. 11.) *Quasi dicant: Illorum Dæ-*

monum sive Deorum aereorum , qui cum hominibus commercium habent, notitia eousque non pertingit : Hac res Dijs majoribus reservata est. Hanc vero sententiam seu explicationem improbat Dn. D. Calovius, & putat, post Piscatorem, cujus verba allegat, *universaliter de Dijs hoc prædicatum intelligi.* Intelligitur igitur etiam de Dijs falsis, iisque vel majoribus, vel minoribus apud Ethnicos distinctis.

§. 10. *Verus DEUS in sola Ecclesia Judaica agnoscebatur , & colebatur* , Id quod agnoscebat & confitebatur ipse Rex Nebucadnezar, quando respondit, dubium non esse, quin *Hebræorum Deus sit Deus super omnes Deos , & Dominus omnium Regum* ; idque colligebat ex revelatione occultorum, & prædictione futurorum, quam indiderat DEUS Danieli, cap. II. 47. Idem repetiit c. IV. 29. ut & Darius c. VI. 22. vocatur alias מלך שמיא *Rex Cœlorum*, vers. 24. Et *Princeps principum* c. VIII. 25.

§. 11. *DEus ille verus, ut unus est Essentia, ita multus est, & quidem trinus, in personis* Quod unus sit, probant non solum vocabula numeri *singularis*, sed etiam voces יהוה & אל & אלוה, Dan. I. 7. II. 17, 47. III. 26. IX 2. 14. מרא *Dominus*, cap. III. 26. Quod vero *plures in Deitate* sint personæ, patet ex vocabulo עליונין *excelsorum*, quod notat personas Deitatis, Dan. VII. 18. *Referimus*, cum B. Dn. D. Gejero, *& plerisque interpp. hanc vocem ad* אלהים *excelsos, vel ad DEUM moderatorem omnium supremum , qui in plurali appellatur alias* אלהים קדשים Jes. XXIV. 19. אלהים חיים *Dei vivi*, Deut. V. 26. *Ita & hoc loco Excelsissimus. Hoc ipsum placet etiam Ludovico de Dieu, laudanti LXX. Vulgatam, Pagninum, Genevenses, qui acceperunt de Deo summo &c. Ita etiam Iachiades , Corn. à Lap. Calov. 3. Syst. p. 15.* Huc pertinet, quod laudentur עירין *vigiles*, Dan. IV. 14. quos vocat divinas personas, eo quod custos Israëlis non dormiat, sed vigilet, Psalm. CXXI. 4. Analogum nonnulli quærunt in verbis Nebucadnezaris , quando de suo idolo in plurali loquitur. cap. III. 14. *Alij hanc dicunt scriptura sancta consuetudinem, ut unum idolum appellet plurali, ut est illud in Exodo* (cap. 32.) *de vitulo : isti sunt Dij tui Israël, qui eduxerunt te de terra Ægypti; & in Regum* (1. cap. XII.)

volu-

volumine : Hieroboam, ponens aureum vitulum in Bethel, idola fecisse narratur. Ita Hier. ad loc.cit. Dicerem, Gentiles aliquid de hoc mysterio inaudivisse, & ad sua idola transtulisse.

§. 12. Trium Deitatis personarum prima est *Pater*, qui vocatur עתיק יומין *senex dierum.* Dan. VII. 9. 13. sedens in throno, tanquam judex: Insignis *veste candida*, ut nix est, *capilli* erant instar *puræ lanæ*, *thronus* coruscabat flammis igneis, & ipsæ etiam ejus *rotæ* ardebant ut ignis; quibus verbis describitur partim ejus *æternitas*, in qua genuit Filium, eum ipsum, qui in tempore factus est homo, posterior suo Patre, secundum humanam naturam, quam in tempore assumpsit: Etsi coæternus sit quoad naturam divinam, in quo throno etiam sedere conspectus est, Apoc. IV. 2. *Sedens & vetustus dierum dicitur DEUS, ut æterni judicis habitus demonstretur.* ait Hieronym. Innuitur etiam *sanctitas*, dum *albedo* vestimento assignatur. Debent enim judices esse sancti & immaculati, quanto magis summus omnium judex fuerit? Psalm. LI. 6. Rom. III. 4. nec non *æternitas*, non solum ideo, quia *antiquus dierum* vocatur, sed etiam quia *candidos* habet capillos, ut senes ætate & prudentia maxime adulta; *Senex quoque describitur, ut maturitas comprobetur sententiæ,* existimat Hieronymus. *Thronus* autem *flammeus* denotat, quod judex gravis sit, & studio justitiæ quasi ardeat, & operetur, idq; incredibili nonnunquam celeritate, instar fulguris, Matth. XXIV. 27. Idem *origo* est divinæ majestatis, quam Filius ut homo accepturus erat in tempore. Dan. VII. 13. 14. Phil. II. 10. Et summo honore dignus, sicut & Angelorum aliquot myriades ipsi inserviunt, ut suo Creatori & Domino, vers. 10. 11. qui tamen manet unus DEUS: *Igitur, si & monarchia divina per tot legiones & exercitus Angelorum administratur, sicut scriptum est* (Dan. VII. 10.) *milies centies centena milia assistebant ei, & milies centena millia apparebant ei: nec ideo unius esse desiit, ut desinat monarchia esse, quia per tanta milia virtutum procuratur: quale est, ut DEUS divisionem & dispersionem pati videatur in Filio, & in Spiritu sancto, secundum & tertium sortitis locum, tam consortibus substantiæ Patris, quas non patitur in tot Angelorum numero, & quidem tam alienorum à substantia Patris?* Verba sunt Tertulliani, adv. Prax. c. 3. ubi & aliam ab ipso Deo removet suspicio-

nem, quasi *corporeus* sit. & *vestitus*, quod alicui videatur ex cap. VII. 9. seqq.: *membra*, inquiens, *& pignora*, *& instrumenta*, *& ipsam vim, ac totum censum Monarchiæ, eversionem deputas ejus*; *Non recte. Malo te ad sensum rei, quam ad sonum vocabuli exerceas*, sensum autem paulo ante expressimus.

§. 13. Secunda persona est *Filius*, qui נְהוֹרָא *lux* est, Dan. II. 22. quomodo etiam à Johanne vocatur. I. 4. Essentia nimirum & officio, vers. 9. *visus* quidem est in veteri Testamento, quando apparuit, etiam ut vir, non tamen revera tum vir erat; Unde *Symmachus* interpres *posuit: quasi vir: Non enim vir erat, sed viri habebat similitudinem.* ait Hieronymus. Ejus divina *majestas* ex variis indiciis eluxit, ex. gr. quod juverit Angelum adversus antagonistam Persiæ, cap. X. 13. quod sublatis in cœlum manibus juraverit, tanquam veritas ipsa, c. XII. 7. Confer Ebr. VI. 18. & paulo post dicenda, ubi de ipso ut caussa salutis acturi sumus.

§. 14. *Spiritus sanctus, qui tertia Deitatis persona est*, innuitur Dan. IV. 5. dum vocatur רוּחַ אֱלָהִין *Spiritus DEI*, seu, si de verbo ad verbum reddas, Deorum, seu divinarum personarum, nempe Patris & Filii à quibus procedit. Idem innuitur etiam cap. VII. 10. Ubi in visione conspicitur fluvius igneus נָפֵק מִן - קֳדָמוֹהִי *egrediens ex ipso*, nempe ille ipse fluvius aquæ vivæ, pellucidus instar chrystalli, qui egredi videtur de throno DEI & Agni. Apocal. XXII. 1. seqq. *Proprie* exprimitur Johan. XV. 26. quando *procedere* dicitur de Patre, sicut & de Filio, à quo *mittitur* in tempore. Ejus sunt dona administrantia, ut est donum arcanorum divinorum explicandorum, quale fuit apud Danielem, qui propterea dicitur habere *Spiritum DEI*, Dan. IV. 5. Confer. 1. Cor. XII. 3. 4. seqq.

§. 15. DEUS hic trinunus sua habet *attributa*, cum otiosa (ut sic loquar) tum operosa. *Aliquot* talia attributa conspiciuntur in Patre Dan. VII. 9. Sed distincte de singulis agamus, & ex operibus tanquam ab effectu ea nonnunquam colligamus. Dan. II. 20 laudat Daniel nomen DEI quod sit benedictum מִן עָלְמָא *à seculo*. Oportet igitur DEUM ipsum ab *æterno* esse, cap. IV. 30. ejus potestas vocatur עָלַם *seculi*, & ipse

עָלְמָא

חַי עָלְמַיָּא *vivens ſeculi* nuncupatur à Dario cap. VI. 26. cujus *regnum non corrumpitur*, & *poteſtas durat* עַד-סוֹפָא *uſque ad finem.* confer. cap. III. 33. Qui חַי *vivens eſt*, appellante Dario c. VI. 26. *ad diſtinctionem Deorum gentilium, qui ſimulacra ſunt hominum mortuorum*, ait Hieronymus.

§. 16. *Potentia* ipſi competit, id quod ex ipſis etiam operibus ejus colligere licet. Dan. II. 20. DEO aſſignatur etiam *robur*, à Daniele, cui revelaverat ſomnium Nebucadnezaris, & ejus ſenſum, de ſtatua aliqua imperiorum, quæ lapide cœlitus abrupto erat comminuenda. Idem verſ. 23. dicitur dare & aliis *fortitudinem*, quare opus eſt, ut prius ipſe illa ſit inſtructus. Potens erat ad liberandum Confeſſores ex manu regia, & fornace, ſicut & fecit, cap. III. 17. 24. 29. ſeqq. Etiam tum, cum Nebucadnezarem regni adminiſtratione dejecit, cap. IV. 28. & 31. potentiſſimum ſeſe exhibuit, *Princeps exercitus*, ſeu fortitudinis vocatur. Dan. VIII. 11. quod Hieronymus putat in DEUM cadere, probante Dn. D. Calovio: *per Principem fortitudinis*, inquiens, *rectius intelligit DEUM Hieronymus*, *quem plerią; alij ſequuntur:* mox egregia ejusdem verba ſubjungit. Confer ad c. VIII. 25. ubi explicat, quis ſit *princeps principum*, nempe DEus, & quæ noviſſime Dn. D. Gejerus ſcripſit, quod *potentia Dei nullius hominum circumſcribi poſſit regulis, quousque eadem ſe extendat, quid eadem poſſit, vel non poſſit. Removeantur ea, quæ imperfectionem involvunt, & dicatur ingenue; DEUM poſſe ſuper abundanter facere ultra cuncta, quæ vel cogitare, vel petere poſſumus.* Eph. III. 20. Videtur quidem Darius dubitare, c. VI. 20. dum interrogat Danielem: *nunquid potuit liberare te à leonibus?* Sed Reſp. Hieronymus: *Non quod dubitet de DEI potentia, de quo ſupra dixerat: DEUS tuus quem colis ſemper ipſe liberabit te, ſed ambiguam ſententiam temperat, ut cum Daniel illæſus apparuerit, quanto res incredibilior eſt, tantum adverſus principes juſtior indignatio ſit.* comment. ad l. c. Potuit Darius certus eſſe ſaltem de DEI *potentia*, etſi incertus eſſet de ejuſdem *voluntate*, & ipſa Danielis liberatione externa.

§. 17. Non ſolum autem potens eſt DEUS, ſed & *ſcientia* omnium rerum ipſi competit. Dan. II. 10. Ipſi Chaldæi fatentur, neminem eſſe hominum in terra, qui occultum regis ſom-

nium nosse & explicare possit, sed Deos (Deum) solum esse qui possint: *Et hoc considerandum, quod somnia, in quibus aliqua ventura signantur, & quasi per nubilum veritas demonstratur, non pateant conjectoribus, & humanæ mentis arbitrio, sed DEI solius scientiæ.* annotat Hieronymus ad Dan. II. 28. *Libri* omniscientiæ divinæ aliquando in die judicii sunt aperiendi. c. VII. 10. explicante B. D. Pap. fol. 224. A. Commentarii. Dan. XII. 10. prædicitur *abominatio desolationis*, quod vaticinium impletum est. Matth. XXIV. 15. Imprimis illustris est prædictio LXX hebdomadum, quæ facta est, tum à Propheta Jeremia cap. XXV. 12. XXIX. 10. citante Daniele IX. 2. tum aliarum ab ipso Daniele, v. 24. seqq. Pro istarum complemento & executione oravit, Daniel c. IX. 3. quando pœnitens ad DEUM sese precibus convertit, q. d. *Imple* (DEUS) *opere, quod sermone pollicitus es: vicinum tempus desolationis impletur*, scribit Hieronymus. Harum prædictio adeo clara est, ut ne ipse quidem Grotius ausus fuerit negare; Observante Dn. D. Calov. ad Dan. IX. Confer Dan. II. 21. 22. 23. 28. 29. 47. Ex recentioribus B. Clem. Alex. lib. 1. strom. f. m. 330, A. & innumeros alios sive Commentatores, sive Chronologos, sive Polemicos, sive alios, qui de LXX hebdomadibus scripserunt. Si quando autem aliquod DEI promissum non completur, caussa secunda in caussa est, quæ conditiones vel ordinem non observavit. *Non ergo quod pollicetur* (*DEUS*) *statim futurum est, sed in eos sua promissa complet, qui custodiunt mandata illius*, notat idem Hieronymus ad Dan. IX. 4. f. m. 278. A. Eadem virtus colligi potest etiam exinde, quod dicatur dare *sapientiam sapientibus, & scientibus intelligentiam* Dan. II. 20. & 21. quod non posset, saltem ut principium, nisi prius ipse sciens & sapiens foret.

§. 18. *Misericordia* quoque eidem competit. Nam ejus dicitur esse *commiseratio & remissio* peccati. Dan. IX. 9. *quia Dominus non solum justus, sed & misericors est, dicit: Tibi Domine misericordia, ut post sententiam judicantis eum provocet ad clementiam.* Verba sunt ejusdem ad loc cit. confer vers. 16. 18. 19. Et Comment. B. D. Pap. f. 232. B. fin. Dubitaverit quidem aliquis de ea DEI misericordia, quod tradiderit Regi Babyloniæ quædam templi vasa inde auferenda, Dan. I. 2. Sed ille ipse locus indigi-

tat

tat DEI misericordiam, quod *quædam* tantum, non *omnia*, tradiderit; Et quæ tradiderat nihilominus *conservarit* integra, ut possent restitui, Dan. V. 2. 3. Esr. I. 7. seqq. Idem observat B. Hieronymus in verbo ותתך *stillavit*; Dan. IX. 11. Nam scribit: *Non totam in nos effudisti Iram, quam ferre non poteramus, sed stillam furoris tui, ut correpti in plaga reverteremur ad te.* Id certum est, quod Deus iram suam clementia temperet.

§. 19. Misericordia igitur *justitiam* à DEO non removet absolutè. Deum enim *justum* esse, Daniel ipse largitur. Dan. IX. 7. & elucet ex *pœnis*, quas DEUS sive comminatur sive infligit propter peccata: Tales inflicturum comminatus est per Nebucadnezarem ei qui verum Deum, ut est Judæorum, blasphemaverit. c. III. 29. Et revera inflixit ipsi Nebucadnezari, cum altius sese extolleret, cap. IV. 26. 27. seqq. Belsazari. cap. V. 30. Et Israëlitis in captivitatem Babylonicam abductis. cap. IX. 7. seqq. Neque solum punit, sed etiam interdum gravitate compensat moram, ut compensavit in Nebucadnezare, cui dedit integrum annum ad pœnitentiam. Dan. IV. 25. Nam cum non resipisceret, eum tanto gravius punivit. vers. 29. seqq. sed nec pœnis solum *temporalibus*, verum etiam *spiritualibus* animadvertit, iisque etiam in animam. Dan. XII. 2. dicuntur quidam resurrecturi esse ad æternum dedecus & ignominiam. Agnoscunt id pii, & confitentur. Nam Dan. IX. 5. seq. habetur confessio Danielis, quod peccatores extiterint ipse, & majores, proptereàque puniti fuerint.

§. 20. Nimirum *verax* est DEUS; qui servat fœdus & gratiam diligentibus se, & præcepta servantibus. Dan. IX. 4. *Sanctus* insuper; Nam ejus viæ sunt rectæ. c. IV. 33. *Liberrimus* etiam, dum regna disponit pro suo arbitrio. 14. 15. 18. 31. V. 21. Et liberat eos quos vult: *Pulchrè ad id quod dixerat: potest eripere nos, non intulit contrarium, si non potuerit, sed si noluerit, ut non empossibilitatis DEI, sed voluntatis sit, si perierint.* Scribit Hieron. ad Dan. III. 18. & D. Gejer. *In Dei liberrima est manu, uni è multis non precantibus largiri, id quod postularunt singuli.* ad cap. II. 19. Summa ipsi *majestas* competit. Nam est DEUS omnium Deorum. Dan. II. 47. Est altissimus. cap. III. 32. IV. 14. dignus qui glorificetur, ut fecit Nebucanezar, recuperato

perato rationis, & regni usu: cap. IV. 30. Magnus est, & terribilis. c. IX. 4. ad cujus conspectum metus & horror homines invadunt. ut Danielem & socios. c.X. 7. seqq. Non tamen concipienda est quantitas corporalis, cum magnus vocatur: *DEUS noster est magnus non quantitate vel qualitate accidentali, quomodo magnus Rex appellatur Salomo*, Esr. V. 11. &c. *Verum Essentia & majestate infinita, captum omnem creatum excedente, incomparabili, immutabili &c.* scribit B. Dn. D. Gejer. ad Dan. II. 45. seq.

§. 21. Ex dictis nonnihil judicare possumus de *Operibus DEI*, quæ sunt vel in DEO, ut *Decretum*, quale fuit Dan. IX. 27. vel à DEO, ut est *Creatio*, & creatarum rerum gubernatio, quæ alias & *Providentia* vocatur: eique subjacent creaturæ & inanimatæ, & animatæ: *Inanimatæ*, ut ignis in fornace, qui non potuit urere Confessores, DEO prohibente, Dan. III. 27. Vide Tertul. advers. Hermog. cap. XLIV. *Animatæ*, nec illæ solum *bonæ*, sed & *malæ*, quarum *omnium* actiones DEUS moderatur, permittit, vel impedit, laudat vel vituperat, remuneratur, vel punit, vel alia quacunque ratione circa illas versatur. Idque fit vel absolutè, vel cum certo ordine. De singulis quædam. Dan. I. 3. Daniel & socii in captivitate non adeo male tractantur, ita ut appareat, misericordiam divinam commixtam fuisse cum justitia, & ira. Etiam Gentiles optimam divinitus vitam aliis apprecabantur. c. V. 23. Conf. c. II. 4. III 9. V. 10. Mittit Deus Angelos ad expedienda sua negocia. cap. VI. 22. Revelat cœlitus somnia, eorundemque intellectum. cap. II. 18. 19. Regibus largitur, sed & adimit, munia sua. Dan. II. 21. 38. V. 18. VII. 6. 11. 12. *Non ergo miremur, si quando cernimus & regibus reges, & regnis regna succedere, quæ DEI gubernantur & mutantur & finiuntur arbitrio; causasque singulorum novit ille, qui conditor omnium est, & sæpe malos Reges patitur suscitari, ut male malos puniat, simulque subostendit, & generali disputatione præparat auditorem, somnium quod vidit esse de mutatione & successione temporum.* Hieron. ad Dan. II. 21. f. 269. Et Gejerus: *Interpretatio somniorum vatidicorum non competit nisi illis, qui cælitus simul, ut Daniel, adepti sunt revelationem: alias nempe in dubio semper atque anceps manet animus, num hæc vel contraria adhibenda sit,*

inter-

interpretatio, ficut id pluribus perfequitur Del Rio difquif. magic. pag 596. feq. verba funt B. D. Gejeri in Dan. II. 30. Exemplum efto Nebucadnezar Rex, utpote egregiè donatus à Deo Dan. II. 37. 38. & Daniel, quem Deus eripuit ex rictibus leonum, VI. 22. ut Confeffores ex igne, c. II. 27. vide Novat. d. Trin. c. 8. & Tertul. d. orat. c. 12. & de refur. c. 58.

§. 22. Idem confpicimus in rebus etiam *malis*, & indifferentibus, e. g. in traditione Jojakimi & vaforũ templi, Dan. I. 2. *quod traditus fcribitur Jojakim, monftrat, non adverfariorum fortitudinis fuiffe victoriam, fed Domini voluntatis,* fcribit Hieron. ad l c. fuccifio etiam Nebucadnezaris divinitus profecta eft. Dan. IV. 20. confer Dan. IX. 7. Mutat DEUS tempora, horas, & moras pro fuo arbitrio. Dan. II. 21. & regna quafi in numerato habet. cap. V. 26. Nam *Belfazaris regnum numeravit atque complevit & appendit in ftatera judicii fui.* ait Hieron. ad l. cit. *Monemur igitur hoc verbo* (Teckel,) *ne calamitates noftras five cœco fortunæ cafui, five naturali cuidam rerum viciffitudini tribuamus, fed fciamus, calamitates quafcunque pœnas effe delictorum, & noftra inobedientia, noftrisque peccatis accerfiri. Monemur itaque, Deum nequaquam depofuiffe, curam rerum humanarum, fed omnia confilia omnesque actiones hominum non modo infpicere, fed judicare etiam & vindicare, ficut ab ipfo fervatore difcimus* (Matth. XII. 36.) *reddendam effe rationem ex omni verbo otiofo.* Ita D. Pap. ad Dan. V. fol. 219. B. fin. Excitat DEUS ventos Monarchiarum cap. VII. 2. Neque putes, DEUM, cum *vigilaffe* dicitur Dan. IX. 14. etiam *dormire*, & quidem proprie. Nam *quando propter peccata corripimur, vigilat fuper nos DEUS, & vifitat nos; quando vero à DEO deferimur, & non judicamur, indignique fumus correptione Domini, tunc dormire dicitur.* ait Hieron. ad loc. cit. adeoque docet ἀνθρωποπαθῶς hæc quidem dici, fed θεοπρεπῶς effe intelligenda. Quæ cum ita fint, monendi fumus, ut in timore & tremore Domino ferviamus. Pfalm. II. vid Pap. comm ad Dan. XII. five *vigilibus*, qui funt DEUS, in quorum confilio fit *decretum* de arbore fuccidenda. c. IV. 14. vide Hieron. comm. ad Dan. f. 272. D. & ipfos Judæos.

§. 23. DEUS hic habet *regnum* quod æternum eft, & prodeft animarum noftratum faluti, quare ad illud, tanquam ad

 fummum

ſummum bonum contendendum eſt. ſcilicet illud eſt *regnum*, quod ſancti poſſeſſuri ſunt Dan. VII. 22. idque eſt *æternum*. verſ. 27. Homo igitur, utpote peccator, jam poſt lapſum, ex ſe non poteſt venire in illud, etiamſi vel renatus ſit, ut Daniel. nam & hic fuit peccator, id quod ipſe fatetur Dan. IX. 5. & colligitur ex Rom. VII. 14. ſeq. XIV. 3. ſeq. ſed DEI unius gratia eſt, quod homini pateat aditus ad ſummum bonum conſequendum. Nempe DEus eſt miſericors. Dan. IX. 9. qui nobiſcum non agit ſecundum noſtra delicta. c. IV. 24. Unde Daniel in precibus ſuis pœnitentialibus confugit ad ipſius gratiam & commiſerationem. Dan. IX. 17. 18. 19. Et reſpicit ad DEI ſanctuarium, templum, tum deſtructum, ideoque miſerabilem locum. Dan. VI. 10. Media interdum adhibet ſingularia, ut hominem convertat, ex gr. ſomnium Dan. II. 46. IV. 1. liberationem Confeſſorum, cap. III. 23. 24. Cave igitur, ut ex eleemoſynis, quæ fidei, & pœnitentiæ teſtimonia, & conſequentia ſunt, Dan. IV. 24. facias meritum aliquod. *Alias enim Daniel ſibi ipſi eſſet contrarius, cum infra c. 9. in ſua precatione fatetur, ſoli DEO deberi juſtitiam, nobis autem confuſionem faciei noſtræ. Item (cap. IX. 18.) non propter juſtitiam noſtram nos proſternimur coram te, ſed propter miſericordiam tuam multam, & D. Apoſtolus (*Rom. IV. 5. ſeqq.*) aperte oſtendit, ei, qui non operatur, credit autem in eum, qui juſtificat impium, imputari fidem ad juſtitiam. Et: (*Rom. XI. 5. 6.*) ſi gratia, jam non ex operibus, alioqui gratia jam non eſſet gratia. Cui & illud Auguſtini conſonat: Gratis niſi detur gratis omnimodo, non eſt gratia ullo modo.* Hæc Pap. ad Dan. IV. Cave etiam, ut preces facias meritum. Et caute legas Rupertum Tuit. c. 17. aut alibi quæras benevolam DEI voluntatem, quam in ipſius verbo, vide Pap. comm. ad c. XII. Dan p. 244.

§. 24. *Ita propitius eſt nobis DEUS propter JEſum Chriſtum, Dominum noſtrum.* Præclare hoc inſinuatur Dan. IX. 19. quippe quod Daniel veniam à DEO petat למען אלהי *propter DEUM ſuum*, qui eſt Meſſias. Et egregie deſcribit, verſ. 24. explicante Julio Africano apud Hieronymum: *Nulli*, dicente, *dubium, quin de adventu Chriſti prædicatio ſit, qui poſt LXX hebdomadas mundo apparuit: poſt quem conſummata ſunt delicta, & finem accepit peccatum, & deleta eſt iniquitas, & annunciata*

juſtitia

justitia sempiterna, quæ legis justitiam vinceret, & impleta est visio & prophetia, quia lex & Prophetæ usque ad Baptistam Johannem, & unctus est sanctus sanctorum, quæ omnia, priusquam Christus humanum corpus assumeret, sperabantur magis, quam tenebantur. Hæc Julius Africanus de Christo, quasi in compendio χϱιϛο-λογίας.

§. 25. Distinctius autem de singulis agamus. Et quidem I. *nomina* quod attinet, dicitur *Messias*, ab *unctione*, Græcè *Christus*, quia ungendus erat, juxta *D*an. IX. 24. & quidem secundum suam humanam naturam, uti docet Tertul. lib. III. adv. Marc. cap. 15. Vocatur & *sanctus sanctorum* ibidem apud *D*anielem, non solum ideo, quia tanquam *DEUS* est ipsa sanctitas, sed & quia ipsius sanctitate meritoria nos sancti sumus. I. Cor. I. 30. *Michael* quoque dicitur. *D*an. X. 13. XII. 1. quod sonat: *quis sicut DEUS? ut scilicet intelligatur, quia propitiationem vel expiationem nullus possit offerre, nisi DEUS*, explicante Hieron. ad *D*an. VIII. 16. *quare aspiciamus in magnum illum principem, cujus hoc loco fit mentio. Is enim omnibus ærumnis & calamitatibus, licet maximis & tristissimis, incomparabiliter tamen major est, cum & dicatur, & sit, Michael, quis sicut DEUS? h. e. solus ipse DEO æqualis. Quapropter & Princeps magnus appellatur, quemadmodum Isai. IX. Princeps pacis, & Apocal. I. Princeps Regum terræ. Est & revera magnus, quia omnipotens DEUS est, Creator & gubernator cœli & terræ, qui omnia fecit & facit quæcunque vult, qui magna fecit & facit præsertim in Ecclesia, ut virgo mater (Luc. I. 49.) canit: magna mihi fecit, qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Ita *D*. Pap. in comm. ad *D*an. XII. f. m. 243. B.

§. 26. II. *Naturæ*: quæ sunt duæ, divina, & humana. *Divina* innuitur in voce *Michael*, ut paulo ante audivimus, & in operibus Θεανδϱικοῖς, quæ ipsi *D*an. IX. 24. attribuuntur: sed & *humana*. Nam in igne conspectus est ut Filius hominis cap. III. 25. *Speciem quarti, quem similem dicit Filio DEI, vel Angelum debemus accipere, ut LXX. transtulerunt, vel certè, ut plerique arbitrantur, Dominum Salvatorem*, ait Hieron. ad loc. cit. confer Tertul. lib. IV. advers. Marc. cap. 10. In ipsa hac specie conspectus est cum adduceretur ad Antiquum dierum, seu Patrem. cap. VII. 13. Idem tanquam lapis de monte sine manibus

 abscissus

abſciſſus comparet. cap. II. 34. quo ipſo denotatur ipſius generatio cum æterna, qua natus eſt ſine matre, tum temporalis, quæ fuit humanæ naturæ, & facta eſt ſine virili opera. Confer Juſtin. Mart. dial. f. 231. 234. 267. 278. Tertul. lib. IV. adverſ. Marc. c. 35. de carn. Chriſt. cap. 15. Hieron. ad *Dan.* II. 34. Fuit illa ipſius forma ſolum apparens; Nam ipſe erat ſpiritus, apparebit autem in die extremo, ut ex *Dan.* VII. 14. colligit B. *Dn. D.* Pap. comm. ad l. cit. confer Juſtin. Martyr. Apol. II. f. 67.

§. 27. III. *Communicatio idiomatum divinorum.* Colligitur ex *Dan.* IX. 24. dum vaticinium habetur de ejus merito, quod ſtare non poteſt, niſi facta humanæ naturæ participatione divinæ majeſtatis, vid. Act. XX. 28. Ebr. IX. 11. ſeqq. Confirmatur ex Dan. VII. 13. ubi in viſione nocturna videt Daniel aliquem Filio hominis ſimilem, qui ad antiquum dierum adductus accepit potentiam, honorem, & regnum, ita ut omnes gentes, homines, & linguæ ei ſerviant, cujus poteſtas ſit æterna, quæ non interit, nec finis ſit ejus regni. Quale quid factum eſt quoad κτῆσιν quidem in unione perſonali, quod χρῆσιν autem in ſeſſione ad dextram. vide Pſal. II. 7. Phil. II. 9. Col. II. 9.

§. 28. IV, *Officium Chriſti.* Eſt triplex, nempe Propheticum, Sacerdotale, & Regium. *I. Propheticum* conſiſtebat in actibus, in quibus futuro iſti ſuo officio quaſi præluſit. Id vero erat, *docere* alios myſteria divina. Dan. II. 19. revelavit Danieli occultum Nebucadnezaris ſomnium, ut ſimul & de reconditis myſteriis loqueretur. verſ. 20. ſeqq. Neque eundem ſaltem excludere poſſumus à revelatione myſteriorum divinorum, quæ etiam in ſequentibus DEO attribuuntur. Confer Joh. I. 18. *II. Sacerdotale*, quod conſiſtere debebat in ſacrificio ipſius, & interceſſione. Iſtius figuræ erant *ſacrificia* Judaica, cum matutina, tum veſpertina, adeoque abolenda, Chriſto in carne exhibito, & crucifixo. Dan. IX. 24. ſeqq. *Inſigne* erat habitus ſacerdotalis Dan. X. 5. *Auguſta hæc deſcriptio Chriſti Angelorum Domini propria eſt, non vero Angeli alicujus miniſtri. Quod docet primum veſtitus Regalis ac Sacerdotalis, nulli Angelo conveniens, niſi Angelo magni conſilij & fœderis novi, Angelo Goeli & Redemptori noſtro. Nam nec uſpiam Angelus alius viſus eſt tali habitu, neque vel Regium vel Sacerdotale officium Angelo alij com-*

petere

petere potest, sed uni Christo Regi & Pontifici nostro proprium est. Zonam enim auream, & vestes lineas habitum fuisse Regalem ac Sacerdotalem, constat. Verba sunt Dn. D. Calov. in Dan. c.X. sect. 3. fol.672. Actus erat *excidium*, quod factum videbatur, cum in ara Crucis penderet, pateretur, expiraret, & sepeliretur. Dan. IX. 24. seq. Ex quo ipso loco patet etiam fructus & effectus istius sacrificii propitiatorii. Nam ibidem praenunciatur consummatio praevaricationum, sigillatio peccatorum, expiatio iniquitatum, & adductio justitiæ seculorum, sublatio Legis Mosaicæ, quæ, & similia, beneficia alia debemus uni Christi Sacerdotis merito. III. *Regale* elucet ex *regno* ejus æterno, id quod omnia reliqua regna erat oppressurum. Dan. II. 44. VI. 26. Habet ille regnum *potentiæ*, quo omnia alia regna potest destruere, c. II. 44. instar lapidis de monte abrupti, vers. 34. 45. sed & *gratiæ*, in quo imperat per verbum & sacramenta; alias vocant *Ecclesiam*, de qua inferius locuturi sumus; Tandem & *gloriæ*, in cujus plenariam possessionem inductus est in sessione ad dextram Patris, quod maximè in die extremo patebit. Dan. VII. 14. confer Dn. D. Gejer. ad Dan. II. 44. 45. post Pap. 234.

§. 29. Uno verbo vocatur *Messias*, unctus scilicet ad triplex hoc officium; quem vero *venisse*, contra Judæos evidens est ex collatione vaticiniorum propheticorum, & hujus maximè Prophetæ, clarissimorum. Nam JESUS Nazarenus, quem Christiani ut Messiam, à Prophetis prædictum, veneramur, aptissime implevit omnia ista Danielis præsagia, & sicut jam complevit pleraq;, ita etiam complebit residua, nempe diem & judicium extremum. Interea vid. Act. IX. 22.

§. 30. V. *Status* est duplex, exinanitionis & exaltationis. *Iste* insinuatur Dan. IX. 26. Nam ibi locorum fit mentio *excidij*, quod subiturus erat Messias, id quod factum est, cum in infimo exinanitionis gradu versaretur. Ita vero exscindendus erat, ut tamen fieret instar *lapidis*, de monte prærupti, qui subjecta regna comminuat, id quod indicat statum alium, & splendidiorem & potentiorem, nempe *exaltationis*, in quo omnia habet subjecta. vide Tertul. cont. Jud. cap. 14. lib. III. advers. Marc. cap. 7. Hieron. Comment. ad Dan. fol. 276. Leont. de sect. Art. II. f. 4. B.P. Etiamsi igitur moriturus erat Messias, non tamen

 in

in morte erat mansurus. Nam *aeternum* ejus regnum est. Mortuus autem regnare non potest, quare ad vitam eum rediisse certum est. vide B. Dn. D. Gejer. Comment. ad Dan. II.45. num. 3. Gloria in hoc statu *divina* est, adeo ut ipsum sint veneraturi homines eodem quo Patrem honore, quia eandem, quam Pater habet, majestatem accepturus erat. Confer Dan. VII. 13. 14. cum Phil. II. 9.

§. 31. *Beneficia, à Messia nobis comparata, revelantur, offeruntur, & conferuntur à Spiritu Sancto.* Innuimus aliquid hujus rei in præmissis, cum egimus de Spiritus Sancti Deitate, persona, attributis & actionibus. Maxima Apostoli est (1. Cor. XII. 3. seq.) *nemo potest JESUM appellare Dominum, nisi per Spiritum sanctum*; quare necesse est, ut Spiritus S. indiderit Prophetis, & aliis sanctis viris, ut istum Salvatorem suum hoc titulo appellarent.

§. 32. *Administros* autem etiam habet DEUS, quorum opera utitur in salute nostra procuranda; ut sunt I. *Angeli* i. e. *missi*, quorum *auctor* DEUS est. Nam divinitus mittuntur. Dan. X. 11. *Angelus* fatetur, sese missum esse, & quidem *divinitus*; Nam ad DEUM precatus fuerat Daniel, & inde mandatum accepit Angelus, ut ad Danielem abiret. Deo semper adstant Angeli tanquam ministri suo Domino, exspectantes & exequentes imperata. Dan. VII. 10. Nec obstat Dan. IX. 23. quod videatur Angelus à DEO discessisse. Nam q. d. *Nunc ad te missus sum, & egressus sum, non à facie DEI, ut ab eo recederem, sed ut ad te venirem:* ait Hieron. Est igitur mera officii descriptio. Hieronymus ille dividit hoc *officium*, dum ait duplex esse, *aliorum qui justis præmia tribuunt, aliorum qui singulis præsunt cruciatibus.* Posset latius constitui. Nam & arcana revelant, ut ille cum Daniel habuisset visionem; Nam interpretatus est ipsam illi, c. VII. 16. seq. c. VIII. 17. cap. IX. 22. 23. X. 13. confortare debiles, cap. X. 11. 12. 18. 19. XI. 1. 2. cum malis Angelis pugnare, cap. X. 20. Invisibiles sunt; Nec enim habent formam aliquam externam. Nec obstat, quod Dan. IX. 21. Angelus appareat volitare, & videri, & tangere Prophetam. Nam *videtur Gabriel, non Angelus, vel Archangelus, sed vir, ut nequaquam sexum, sed nomen virtutis ostenderet.* ait Hieron. h. l. Est etiam

ingens

ingens eorundem *numerus*. Nam Dan. VII. 10. numerantur millia millium, qui DEO inſerviebant, & decem myriades ſtantium coram eo, qui ſitus eſſe ſolet miniſtrorum. Aliquis eorum nuncupatur *Gabriel*, q.d. robur divinum. Dan. VIII. 16. qui quidem etiam ut vir apparuit, ſed revera erat ſpiritus: *Non enim viri ſunt Angeli, ſed in ſpecie videntur virorum, ſicut Abraham ad quercum Mambre tres viſi ſunt viri, qui utique viri non erant, de quibus unus adoratur ut Dominus. Unde & ſalvator loquitur in Evangelio*, Johan. VIII. 56. *Abraham vidit diem meum, vidit, & lætatus eſt.* Ita Hieron. Competit iisdem ſingularis *ſapientia* rerum divinarum, & arcanorum. Dan. IX. 22. ſeqq. revelat Angelus Danieli egregium myſterium de Filio DEI incarnando, & hujus fructibus, & ipſo etiam tempore, & alia talia multa. Hac vero ſapientia indigent, quia ipſorum officii eſt hominibus arcana revelare, & cavere piis à periculis. vide B. Dn. D. Pap. ad Dan. X. fol. 235. B. fol. 244. B. & pag. 245. A. Fruſtra ſunt qui fingunt, Gabrieli potiſſimum eſſe demandatam curam precum, aliis aliud aliquod, hoc, vel illud officium. Multa etiam tricantur de pugna Angelorum inter ſe, cum nobis non liceat ulterius ire, quam DEUS ipſe in ſuo verbo revelavit. Dan. X. 13. nempe, pugnare Angelos bonos contra malos, ſibi adverſos hic vel illic locorum, quo minus ſuo officio, divinitus mandato, in ſalutem Eccleſiæ defungantur, ut par eſt. Adeoque id ſaltem certum eſt, Angelos bonos habere ſuos adverſarios, in magnis etiam principatibus, qui adverſus illos depugnant, & conatus ipſorum quocunque modo impedire conantur, ut fecerunt, quando Judæi ex captivitate Babylonica in terram ſanctam redituri erant.

§. 33. II. *Homines*, quorum alii directe & per ſeſe illum finem intendunt, & producunt. Tales ſunt *ſervi DEI, Prophetæ*, quos laudat Daniel cap. IX. 5. 6. 10. quando confitetur peccata, & in iis etiam inobedientiam, qua *DEI miniſtros, Prophetas*, læſerint, cum nollent ipſos, verbi divini nuncios, exaudire. Opus igitur eſt, ut Prophetæ illi vocati fuerint ad hoc, ut voluntatem DEI hominibus annunciarent, & eam eo fine, ut ipſam illi ſcirent, & ad eam ſeſe quovis modo componerent; adeoque meruerint notari, & reprehendi, ut peccatores. Talis

Dei

Dei minister fuit *Moses*, quippe qui verbum & mandata divina scripsit, & comminationibus munivit; Talis & Jeremias, qui de LXX hebdomadibus vaticinatus est; Talis & Daniel, qui utrumque consuluit, & in scripta sua retulit. vers. 2. 11. 13. Idem Daniel deprecatus est victum Regium, ejusdemque veniam suis quoque commilitonibus impetravit, eo fine & fructu, ut & illi puri manerent ab idololatria: *Ut igitur Daniel, bono veroque perspecto, non sibi id servavit, sed socijs, ut idem secum sectarentur, suasor atque auctor fuit: Ita cuivis Christiano incumbit tum errantes in viam reducere. Jacob. V. 19. tum ad augustam pietatis virtutisque viam alios quoque cohortari, & invitare. Jes. II. 3.* Ita Dn. D. Gejer. comment. in Dan. I. 8. pag. 10. Confer & poris. 5. ad cap. II. 49. Patet autem hinc, quod DEUS etiam illis utatur ministris, qui in aliquo Ecclesiastico officio non sunt, ut non fuerunt Daniel, & socii, orti, non ex tribu Levitica, quæ destinata erat cultui publico, sed ex tribu Judæ, quæ operam dare debebat rebus politicis. cap. I. 3. 6. Danielis scripta adhuc hodie exstant, etsi Aulicus ille & politicus fuerit, eademque allegavit ipse Christus, ut doceret futuræ desolationis abominationem. Matth. XXIV. 15. Quo referri possunt etiam *Reges*, *Nebucadnezar* & *Darius*. Iste enim caussa, vel certè occasio, fuit, verbi divini enarrandi, & prædicandi, quando evocavit suos sapientes, ut somnium, divinitus sibi factum, revelarent, & explicarent; deinde verum Danielis DEUM agnosceret, & celebraret. cap. II. 46. seq. Quale quid idem fecit, quando vidit illæsos Confessores, & liberatorem eximie laudavit, & aliis colendum vulgavit. cap. III. 28. 29. Nec non, quando ad se, & regnum suum reversus, ingenue idem confessus est. verba ejus habentur. cap. IV. 30. seqq. Hic vero, nempe Darius, etiam suum cor, linguam & calamum DEO commodavit, ut per ea, ceu per instrumenta, agnosceretur, & celebraretur. Dan. VI. 16. seqq. habentur ejus verba, quibus consolatus est *D*anielem, & postea allocutus est, & edixit, ut per universum etiam suum regnum observaretur. Extant isthæc & similia verba adhuc hodie, & leguntur eo fine & fructu, quo reliquum *DEI* verbum. Ausim dicere, Judæos, & in his meliores: etiam fuisse ministros benevolæ *DEI* voluntatis, dum passus est, eos inter gentes, & Babylonios quidem, rerum tum *D*omi-

nos, dispergi, ut essent instar alicujus seminarii, per quod inter gentiles fides & religio purior propagaretur. *Inexplorabilis est DEI providentia, quoad fidelium suorum ductum, dum pueritiam ac adolescentiam ipsorum commoda educatione format, de alimentis patronisque, etiam diversum sæpe intendentibus, prospicit. &c. Ita namque Nebucadnezar inter cætera à religione avita juvenes hos abducere, suisque sacris idololatricis sensim assuefacere cogitabat; at hoc ipso modo plus propagari voluit veritatem suam DEUS, ferme ut Naamanis conversio occasionem habuit ex puella captiva. 2. Reg. V. 2. s.* Hæc Gejerus.

§. 34. *Media realia, quibus, ut organis, DEUS utebatur, erant verbum, & sacramenta, & his addenda miracula.* Quod verbo usus fuerit DEUS, patet ex omnibus illis sive dictis, sive scriptis, per quæ DEus homines vel illuminavit, vel convertit, vel confirmavit, vel alio quovis beneficio affecit. Verbum DEI erat, quod Daniel elocutus est, cum Nebucadnezari somnium, ejusdemque sententiam, aperiret; Nam à DEO utrumque hoc habuit. Dan. II. 27. eoque verbo Nebucadnezar ita illuminatus est, ut verum DEUM Israëlis agnosceret. vers. 46. 47. Sicut idem DEI verbum in ipso excitavit fidei semina, quæ deinde fructum tulerunt, cum ad sese Rex rediisset. cap. IV. 30. Miracula quidem interdum intervenerunt, & fidem vel produxerunt, & confirmarunt, vel ejusdem aliquot semina jecerunt; quod vero non derogat virtuti & officio verbi. Nam eo ipso miracula scripta sunt: Ut scripta est miraculosa liberatio Confessorum. c. III. 28. seq. Et restitutio Nebucadnezaris. cap. IV. 30. Et salvatio Danielis. c. VI. vers. 23. seqq. Dividitur DEI verbum in *legem*, Dan. IX. 10. 11. & in *Evangelium*: vers. 24. De quo vero nolumus esse prolixiores, quia supra de eo actum est accuratius, cum de principio fidei ageremus. *Sacramentorum* quidem, quæ erant circumcisio & agnus paschalis, expressa mentio non fit, innuuntur tamen in vocabulo *exercitus Cœlorum* צבא השמים Dan. VIII. 10. qui, explicante Luthero, in glossa marginali, est cultus Hierosolymitanus, quippe per quem DEO serviebatur, & ipse erat exercitus istius princeps. Ad quem cultum pertinebat etiam *Circumcisio*, Gen. XVII. 7. & agnus paschalis. Exod. XII. 22. Confer Rom. IX. 4. Ephes. II. 12. Laudatur & *Juda*, &

D *Judæi*,

Judæi. Dan. I. 1. 2. 6. IV. 15. V. 5. &c. Istorum vero erat circumcisio, masculis adhibenda die post nativitatem octavo. Gen. XVII. 10. quod sacramentum quin adhibitum fuerit Danieli, sociis, aliisque Israëlitarum masculis, in captivitatem abductis, nihil video quod obstet; sed nec *agni paschalis* plane obliti sunt, Exod. XII. 24. etsi non celebrarint, terra sancta ejecti.

§. 35. His caussis & mediis producta est in homine *conversio & pœnitentia.* Conversus est Nebucadnezar, postquam Daniel somnium ipsi revelasset & explicuisset. Dan. II. 46. IV. 30. & vidisset miraculosam conservationem confessorum, cap. III. 28. quo medio etiam Darius illuminatus est. cap. VI. 25. Lex *conterit* hominem, ut, postquam sensit & agnovit peccata. cap. IX. 5. seqq. horrorem sentiat, & dolorem, qualem sensit Daniel, postquam in memoriam revocasset sua & suorum peccata. Dan. IX. 5. seqq. distinctam tamen ab horrore impii Belsazeris. cap. V. 6. Non enim vergit hæc ad salutem, ut illa. 2. Cor. VII. 10. Etsi nonnihil ipsum commoverit. Dan. V. 29. 30. Daniel contra utiliter contritus est, audita Hierosolymorum exstruendorum impedimento. Dan. X. 2. 3. *Evangelium* vero gignit, corroborat, & confirmat fidem: qualis fides fuit ejusdem Danielis, quæ de ipso refertur Dan. IX. 9. seqq. postquam relata illa esset, & in memoriam revocata verba vaticinii Prophetici. vers. 2. 3. Nitebatur illa in DEI misericordia & gratia, vers. 9. & beneficiis præteritis. vers. 15. DEO confisi tres Confessores, maluerunt ignem experiri, quam contra DEum aliquod idolum adorare, gnari, DEum posse etiam ex igne liberare cap. III. 17. Unde colligas, jam in Vet. Test. fiduciæ in Deum fuisse locum. Gloria Dei est finis, in quam pœnitentes intueri debent: Dan. IX. 4. seqq. Daniel pœnitens orator DEO omne eximium adscribit, sibi vero nihil quam pœnam & ignominiam relinquit: *Alterum argumentum sumitur à gloria DEI & commendatione cultus, qui mandato divino erat institutus Hierosolymis. Etsi enim, ut ipse Daniel fatetur, populus Judaicus puniebatur propter enormia peccata & scelera, tamen superbi victores, aliique prophani homines, his ipsis pœnis abutebantur ad blasphemiam nominis divini. Petit igitur Daniel, ut vel ad retundendas illas blasphemias Dominus misereatur populi, & reipsa ostendat,*

dat, se non probare Idololatrias & blasphemias gentium, scribit B. Dn. D. Pap. ad Dan. IX. f. 232. B.fin.

§. 36. *Effectus* hujus modi pœnitentiæ erat *remissio peccatorum* & *pœnarum*, vicissim *donatio justitiæ*, & variorum aliorum bonorum. Dan. IV. 24. Suadet Propheta Regi dejiciendo, ut per fidem, bonis operibus operosam, & per justitiam DEI, inde provenientem, à suis sese peccatis, eorumque pœnis abstrahat, & liberet; quod vero involvit Christi meritum, quippe quo prævaricationes tolluntur, peccatum obsignatur, & æterna justitia conciliatur. cap. IX. 24. Quæ Messiæ beneficia expendens noster Pappus, ita scribit: *Primum est consumi transgressionem &c. secundum tegi peccatum &c. tertium est expiari iniquitatem &c. quartum, adduci justitiam seculorum sive æternam &c.* vide paulo inferius. Id quod Hieronymus illustrat *Ezechiæ Regis exemplo, quem Esaias dixerat, esse moriturum; Et Ninivitarum, quibus dictum est: Adhuc 40. dies & Ninive subvertetur, & tamen ad preces* (pœnitentiales) *Ezechiæ & Ninive, DEI sententia commutata est, non vanitate judicij, sed eorum conversione, qui meruerunt indulgentiam.* Comment. ad Dan. cap. IV. 14. Tertullianus vero facunde edisserit, inquiens: *Pœnitentia vita est cum præponitur morti: Eam tu peccator, mei similis (imo me minor, ego eam præstantiam in delictis meam agnosco) ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus mersum persanabit, & in portum divinæ clementiæ protelabit.* d. pœn. c. 4. confer c. 12.

§. 37. *In remissione peccatorum, & imputatione Christi consistit justificatio hominis peccatoris coram Deo.* Colligitur ex Dan. IX. 24. Nam postquā vaticinatus fuisset Propheta, quod consumanda esset prævaricatio, sigillanda peccata, & expiandæ iniquitates, innuit, quod peccata essent remittenda, & adducenda justitia seculorum, illa ipsa nimirum, quæ à Christo acquisita est, & nobis coram DEO imputatur, & æternam salutem elargitur. confer ad Rom. IV. 6. seqq. V. 8. seqq. Phil. III. 9. Illam autem DEI gratiam, & Messiæ justitiam imputat sibi homo per unam & solam fidem, excluso omni suo, & hominum aliorum, merito, Dan. IX. 8. Daniel summa fiducia accessit ad DEUM, nixus unius DEI misericordia, nulla vero sua justitia; Inde & exaudi-

tus, & ab Angelo informatus est. vers. 22. seqq. Si verum est, quod Actor. X. 43. Petrus ait, de JESU Christo testari omnes Prophetas, quod in nomine ipsius remissionem peccatorum habituri sunt omnes credentes; si hoc verum est, ajo, ut verum esse præsuppono ex Actor. X. 43. sequitur, quod etiam veteres salvati per fidem illam peccatorum remissionem habuerint. Sine fide impossibile est, DEO placere, quod enunciat Hab. II. 4. quare & impossibile est, veteres DEO placuisse sine fide. Eandemque fidem niti JESU Christo, itidem ex Actis discimus: Nam credimus cum Petro, gratia JESU Christi nos salvatum iri, quemadmodum & Patres. c. XV. 11.

§. 38. *Justificati per fidem renovantur ad bona opera*, quæ sunt fructus pœnitentiæ & fidei justificantis. *Quid* sit bonum aliquod opus, colligitur ex Dan. IX. 10. 11. nimirum illud, quo ambulamus in via Domini, & sequimur ejus vocem. Est inter ea aliquis *ordo*, alia enim præcedunt, alia sequuntur; præcedunt ea, quæ respiciunt ad priorem decalogi tabulam. Daniel & socii præferunt DEI præceptum humano Regis ordini: Dan. I. 8. sic illi ipsi Confessores nolunt Regi obedire in adorando idolo, quia DEus vetuerat, Dan. III. 17. 18. & Daniel iterum maluit leonibus objici, quam abdicatis precibus à solo Dario, tanquam Deo, aliquid petere. Optimè Tertullianus: *Igitur quod attinet ad honores Regum vel Imperatorum satis præscriptum habemus, in omni obsequio esse nos oportere, secundum Apostoli præceptum, subditos magistratibus & principibus & potestatibus, sed intra limites disciplinæ, quousque ab idololatria separamur. Propterea enim & illud exemplum trium fratrum præcurrit, qui alias obsequentes erga Regem Nabuchodonosor, honorem imaginis ejus constantissime respuerint, probantes, idololatriam esse quidquid ultra humani honoris modum, quod ad instar divinæ sublimitatis extollitur. Sic & Daniel, cætera Dario subnixus, tamdiu fuit in officio, quamdiu à periculo disciplinæ vocaret. Nam id ne subiret, non magis leones regios timuit, quam illi regios ignes*, d. idol. cap. 15. sic & Hieronymus: *Daniel Regis jussa contemnens, & in DEO habens fiduciam, non orat in humili loco, sed in excelso, & fenestras aperit contra Hierusalem, ubi erat visio pacis. Orat autem secundum præceptum DEI, dictaque Salomonis, qui contra templum orandum*

dum esse, admonuit, Comment. ad Dan. VI.10. confer B. Dn. D. Pap. comment. in Dan. VI. fol. m. 221. B. fin. B. Gejer. ad *Dan.* I. 10. porif. 2. Vapulat igitur minister Regius, qui sibi plus metuit ab ira sui Regis, quam *DEI*, quando aliquandiu dubitavit deferre precibus *Danielis*, & Sociorum, ne indignationem *Domini* incurreret. cap. I. 10. Quanquam hominibus quoque interdum obsequi liceat, cum nihil præcipiunt contra verbum *DEI*, ex. gr. *Dan.* VI. 10. *Daniel* in ædibus suis orabat: *Ex hoc loco discimus, ne temerè nos offeramus periculis, sed quantum in nobis est insidias declinemus. Unde & Daniel non in foro, non in plateis faciebat contra Regis imperium, sed in abscondito, ut veri Domini DEI omnipotintis jussa non negligeret.* ait Hieron. loc. cit. Et hoc ipso docet, quod aliquis prudenter pius fugiat etiam occasiones peccandi. *Daniel* & socii noluerunt vel Regis cibum sumere, ne forte iis polluerentur. c. I. 8.

§. 39. *DEUS super omnia timendus, diligendus, eique confidendum est.* Id quod ipse Nebucadnezar voluit, cum præcepit, ut verus Judæorum *DEUS* timeatur, & in reverentia sit. *Dan.* VI. 26. Apud eundem *Danielem* laudantur illi, qui *DEum* diligunt, & præ dilectione ejus mandata observant. *Dan.* IX. 4. Mentio fit etiam alicujus viæ, à *DEO* per Prophetas monstratæ, in qua ambulandum sit, & vocis ejusdem, quæ exaudienda sit, v. 10. Unde *Darius* ipse *Danielem* laudavit, quod *DEO* inservierit, cap. VI. 16. 20. Et licet videatur observantia erga superiores imminens periculum diversum suadere, id tamen faciendum est quod DEUS vult. Dan. I. 8. seq. III. 12. 16. Eleganter Tertullianus canit lib. III. adv. Marc.

Hujus (Danielis) *tres socii, vix digna laude canendi,*
Ex numero tanto decretum Regis iniquum
Contempsere pii, quorum data corpora flammis
Tradere se pœnis potius quam nomina magno,
Quam genibus nixi simulacro tendere palmas.

Visione accepta Daniel religiose miratus est & stupuit, ut decet ad tantas res divinas. cap. VIII. 27. Etiamsi autem DEUS nonnunquam insignia dona largiatur, superbiendum tamen propterea non est, sed humilitati studendum, ut DEI unius sit gloria. Dan. II. 30. Daniel gloriam somnii revelati & explicati refert ad unum

& ſolum DEUM. Quem & Rex Nebucadnezar celebravit. c. IV. 30. ſeqq. *Sic ille Rex Babylonius, offenſo Domino, cum ſqualore & pedore ſeptenni ab humana forma exulaſſet, immolata patientia corporis ſui, & regnum recuperavit, &, quod optabilius homini eſt, ſatis Deo fecit.* ait Tertul. d. pat. cap. 13. Quanquam cum humilitate ſtare poſſit habitus dignitatis: Hinc proxime di-
„ ſputatio ſuborta eſt, an ſervus DEI alicujus dignitatis aut pote-
„ ſtatis adminiſtrationem capiat, ſi ab omni ſpecie idololatriæ in-
„ tactum ſe aut gratia aliqua, aut aſtutia etiam præſtare poſſit? ſe-
„ cundum quod & Joſeph, & Daniel, mundi ab idololatria, &
„ dignitatẽ, & poteſtatem adminiſtraverunt, in ornamento & pur-
„ pura extitere totius Ægypti ſive Babyloniæ, idem c. 17. de idol.

§. 40. *Preces* huc pertinent; Nam in illis ſui ipſos pudebat, contra in DEI miſericordiam & gratiam omnes gloria & ſpes rejiciebatur. Dan. IX. 7. Reſpondebat habitus veſtimentorum. verſ. 3. Nam in *cinere* & *ſacco* fiebant preces, quæ quidem erant indicium animi contriti & humilis, non tamen vim aliquam, aut meritum rei ipſi, ſeu precibus conciliarunt. Id quod ex ipſis illis Danielis verbis videre eſt. Nam confidit non in ſua juſtitia, ſed unius DEI magna miſericordia, verſ. 18. quod cum merito jejuniorum ſtare non poteſt, quare cautè legendus eſt Tertul. d. anim. cap. 48. *Species* orationis duæ potiſſimum ſunt, nempe petere, & gratias agere. Dan. VI. 10. ad quæ verba Pappus ſcripſit:
„ Admonemur & de argumento precum Danielis, quod videlicet
„ & ſupplicaverit Domino, & gratias egerit. Hæc enim duo ſunt
„ ſumma precationis genera: quanquam prius in alias etiam ſpeci-
„ es ſubdividitur. Petitio enim ſive ſupplicatio vel eſt δέησις po-
„ ſtulatio boni abſentis, vel eſt deprecatio mali præſentis, aut fu-
„ turi, vel denique eſt ἔντευξις, ſive interceſſio pro aliis, & pro
„ univerſa fraternitate ſive Eccleſia. Hanc precationem ſequi-
„ tur deinde confeſſio, i. e. gratiarum actio, ut dicitur: invoca
„ me in die tribulationis, & ego eripiam te, & tu glorificabis me.
Sic glorificavit DEUM Nebucadnezar, viſo miraculo, & recuperato rationis uſu & regno. Dan. III. 32. IV. 30. Precantes ſuum habent *tempus*, *ſitum* & *geſtum*, quæ cuique dictitat vel lex divina, vel conſuetudo, & neceſſitas. Dan. VI. 10. Daniel projectus in genua ter interdiu oravit verſus Hieruſalem, juxta 1. Reg. VIII. 47.

§. 41

§. 41. Interdum quædam *tempora* divinitus destinantur ad cultum divinum, ea vero religiose servanda sunt, imprimis si subsit periculum religionis ipsius, Dan. VI. 10. dicitur Daniel ter interdiu orasse, nempe tempore sacrificii jugis matutini, tum vespertini, tum meridiano: quale quid etiam alii fecerunt, Act. II.2. III. 1. X. 9. confer Sam. Petit. lib. I. var. lect. cap. 10. Buxtorf. in libr. Cosri. pag. 163. & alios, citante B. D. Gejer. in Dan. l. cit. „ ubi in porism. 3. scribit: Rigidi esse tenemur etiam in cultu ex-„ terno, (ut h. l. in geniculatione precumque in præsentia alio-„ rum continuatione.) ut in adiaphoris, quando arcem fidei no-„ stræ peti, confessionemque oblique sic à nobis exigi deprehen-„ dimus, ne per indirectum cedamus Satanæ, Deique honori-„ bus ac veritati agnitæ detrahamus, dum metu hominum remit-„ timus de fervore nostro. Qui nimis cauti hic sunt, incauti in-„ faustique nimis postea deprehenduntur. Qui secure viam bo-„ nam persequitur, præter spem mirè postmodum eripitur: è „ contra qui vult animam servare, perdet eam, Matth. X 31. „ Huc Exempla Adiaphoristarum nec non scripta interimistica o-„ mnis generis superiore *seculo*. Hæc ille. Item n. 8. scribit: O-„ ratio quanquam debeat esse assidua, (1. Thess. V. 17. Rom. XII. „ 12. Luc. XIIX. 1.) alligari tamen nihilominus potest ad certa „ anni, mensis, septimanæ, dieique tempora & horas: Sicut „ Daniel ter de die oravit, ita ad minimum tribus in die vicibus „ debemus & nos adorare ordinarie solenniterque, dum cubitu „ surgimus, dum cubitum imus, dum cibis corpus reficimus, „ atque proinde nec occupationum motus, nec interpellationum „ frequentia nos impedire debet in debitis DEO servitiis præstan-„ dis. & porism. 9. addit. De horis canonicis bene Coppenius ad Ps. „ V. 4. has improbamus non quatenus sunt ordinariæ, sed merce-„ nariæ & meritoriæ, & dum sunt quod non esse debent, nec sunt quod esse putantur. Dan. IX. 21. Mentio fit temporis sacrificii vespertini, quo apparuit Angelus Danieli oranti, & varia arcana revelavit.

§. 42. *Viri præstantes in pretio habendi sunt, maxime si in ipsis extraordina & eximia dona deprehenduntur.* Nam Nebucadnezar, audita somnii sui, hactenus occulti, revelatione & explicatione, in genua prolapsus adoravit coram Daniele, DEum

nempe

nempe talium donorum autorem, eundemque Danielem egregie remuneratus est, nec legitur Daniel munera ista superbe respuisse. c. II. 48. Qui ipse & alias sese obsequiosum præbuit erga superiores, modo conscientia non reclamaret. Nam ad Præfectum Regium submisse dixit : *Fac cum servis tuis prout visum fuerit*, cap. I. 13. Nec culpandus est præfectus Regius in eo quod dixerit, se sibi *metuere* à suo rege, modo metum istum non prætulisset divino. cap. I. 10. Fugienda cædes est, & pericula vitæ sunt amolienda, quantum possumus. cap. VI. 10. Daniel domi oravit, non foris. *Ex hoc loco discimus, ne temere nos offeramus periculis, sed quantum in nobis est insidias declinemus.* scribit Hieron. Demus etiam operam, quoad licet, ut aliorum quoque vitam conservemus. Dan. II. 12. seqq. Cum immineret periculum vitæ sapientibus Chaldæis, Daniel oravit DEUM, ut sibi somnium revelaret, quo facto apud Regem allaboravit, ut illi quoque servarentur, vers. 27. seqq. Tacite etiam potestas patria in rebus matrimonii insinuatur, Dan. XI. 6. Nam Reges Austri & Aquilonis dicuntur inter sese conciliari, interveniente matrimonio filiæ, quod communiter intelligunt de Rege Ægypti & Antiocho Theo, quorum huic in matrimonium data est Berenice, Philadelphi filia. Sicut igitur fœdus vel amicitia in Regis Ægyptii potestate erat, ita etiam in ejusdem potestate erat, Berenicen, filiam suam in matrimonio collocare Theo. Confer vers. 17. Aliena diripere non licet, Dan. XI. 18. refertur de Antiocho, quod insulas quasdam suas fecerit, nullo scilicet jure auctoratus. Confer vers. 21. 24. Sed opus est, ut curam pauperum geramus, eleemosynas dando, cap. IV. 24. Contra, nostra commoda interdum etiam declinemus, ut Daniel. cap. V. 7. vide Hieron. comment. ad h. l. fol. 273. G. Mendacia dicere non licet, neque proditiones adornare, vers. 23. improbatur calliditas & dolus erga proximum, nec proditio probatur. vers. 25. 26. 27. Concupiscentia denique originalis & actualis prohibetur, imperata meliore. Nam Dan. I. 2. Jojakim venit in potestatem Babyloniæ Regis culpa etiam Manassis Regis, qui iram divinam cum peccatis etiam in suos posteros derivarat. Dan. II. 10. Daniel studet servare etiam alios sapientes.

§. 43. His virtutibus operam dantes evadunt DEO dilecti,

lecti, ut Daniel *vir desideriorum. D*an. X. 11. Nam præditi sunt fide, bonorum operum radice, per quam apprehensæ Christo DEO grati sunt & placent. Ephes. I. 6. Quanquam ipsa passiva renovatio sit imperfecta. Nam Dan. IX. 5. Daniel se ipse compu-„tat inter peccatores: Licet Daniel vir esset sanctissimus, adeo „ut DEUS justissimo (ipsum) Noæ & Jacobo annumeret; ni-„hilominus tamen in promiscuo peccatorum cumulo se comple-„ctitur, dum ait, se non modo populi sui, sed etiam sua peccata „DEO confessum esse, ita Gesner. thes. 97. disp. in Dan. IX. Confer Dn. D. Calov. ad loc. cit. f. m. 627. b. consonant B. Hieronymo, qui annotat: *peccata populi*, (ad Dan. IX. 5.) *quia unus è populo est enumerat ex sua persona, quod & Apostolum in epistola ad Rom.* (cap. V. 6. 12. &c.) *facere legimus*, & ad vers. 7. *Justè enim patimur quod meremur.* Merentur autem peccatores. Fuerit igitur peccator etiam *D*aniel, qui dicebat, sese commeritum esse.

§. 44. Virtutibus opponuntur *peccata.* Quorum (1.) *esse* consistit in inobedientia erga vocem DEI, & transgressione viæ legis divinæ, propositæ à DEO per servos suos, Prophetas. Dan. IX. 10. 11. Peccatum igitur est ἀνομία, id quod præter, vel contra legem divinam est: Et quicunque viam hanc negligunt sunt transgressores, seu peccatores: qui vocantur *D*an. VIII. 23. Et à DEO deficiunt. Dan. IX. 9. Et impiè agunt. cap. XI. 55. (XII. 10.) (2.) *Autor* non est DEUS, sed ipse homo, quem DEUS punit, interdum etiam in posteris, ut Manassen impium in Joachimo. Dan. I. 2. (3.) *Species* sunt, & quidem secundum *tabulam priorem decalogi*, idololatria, quæ aliud objectum colit quam DEum, id quod confessores noluerunt facere cap. III. 12. 14. 15. seq. sicut nec Daniel & socii voluerunt cibo regio uti. Nam verebantur ne Idolothytis sese polluerent, Dan. I. 8. atque ita peccarent, dum Idololatria jam in Vet. Test. erat prohibita. vid. Dn. D. Calov. comment. ad Dan. III. fol. 601. b. Displicet DEO & *Infidelitas.* Dan. IX. 13. Et impietas, & impœnitentia, & neglectus precum. loc. cit. Nec non *inconstantia* in bona, qualis erat apud Nebucadnezarem, qui edita insigni confessione deinde tamen in Idololatriam sese præcipitavit. cap. III. 1. seqq. juxta posteriorem *Decalogi tabulam* peccatur in proximum cæde, quæ

 ipsi

ipſi intentatur ob non præſtitam rem homini impoſſibilem. Dan. II. 12. 13. de qua & ſimilibus vitiis paulo inferius loquemur, uberius, quando de vitiis acturi ſumus. (4.) *Diſtingui* poſſunt peccata in ea quæ ſunt contra vel præter conſcientiam. Dan. VI. 14. ſeqq. gravius peccarunt Aulici, quando inſidias ſtruxerunt Danieli, quam ipſe Rex, qui fraude non animadverſa fere coactus eſt Danielem leonibus objicere.

§. 45. Habent virtutes ſua *præmia*, qualia ſibi promittebant ſocii Danielis ex abſtinentia à regia menſa, quæ & conſecuti ſunt, Dan. I. 15. & Daniel conſecutus eſt explicato regis ſomnio. cap. II. 46. 47. Et ipſius ſocii per conſtantem confeſſionem. cap. III. 30. Alia præmia idem Daniel accepit à Rege Belſazer, lecta & explicata occulta ſcriptura, c. V. 29. & à Rege Dario, qui ipſum inter ſupremos triumviros eſſe voluit. De his & ſimilibus præmiis ſpeciale quidem Dei mandatum vel promiſſum non exſtat, exſtat tamen generale, quod Deus etiam in hac vita virtutem remunerari velit. 1. Tim. IV. 8. Multum autem prodeſt, ſi & homo ſuum faciat officium, ut Daniel & ſocii, qui frugaliter vivebant. Dan. I. 8. ſeqq. vide D. Pap. h. l. Adde & hoc, quod promiſſiones divinæ interdum ſint conditionatæ. Dan. IV. 23. 24. Si ſcilicet homo egerit pœnitentiam, & officium fecerit, ut Daniel Regi Nebucadnezari dicebat.

§. 46. Habent & peccata ſuas *pœnas*. Dan. I. 2. DEUS tradit Joachimum Regem Judæ. & quædam vaſa in manus Nebucadnezaris, qui ea abduxit. cap. II. 13. Chaldæi, qui ſubinde ampliora jactabant, quam par erat, addicebantur morti; Miniſtri Regii propius accedentes ad fornacem, flamma corripiebantur & comburebantur, nutu ſine dubio divino, quod eſſent miniſtri ſceleris, cap. III. 22. Delatores Danielis in lacum leonum conjiciebantur. c. VI. 24. Nimirũ ſaltem in genere pœnam peccatoribus Deus comminatus eſt, & talia exempla docent, quod peccatis aliqua pœna debeatur. Vocantur una voce *maledictio*. Dan. IX. 11. & prolixe exponuntur, c. IX. 5. ſeqq. in precibus pœnitentialibus Danielis.

§. 47. *Eccleſiam* conſtituit *populus ſanctus*, uti laudatur cap. VIII. 24. Sanctus DEI mons eſt. cap. IX. 10. Civitas & populus juxta DEI nomen, ipſumque DEUM vocatus. c. IX. 19.

Popu-

Populus Dei, & ſancta civitas. verſ.24. Mons DEI. v.20. Populus DEum agnoſcens. Dan. XI. v. 32. Terra decora. Dan. XI. 40. Ex quibus & ſimilibus deſcriptionibus apparet, quod Eccleſia DEū auctorem habeat, & ejus membra ſint ſancti, qui ſic vocantur, Dan. VII.18. Populus ſanctus, c. VIII. 44. Sapientes populi. Dan. XI.33. Nebucadnezar eos vocat DEI ſervos. Dan. III. 26. Talis erat Daniel, innocens: *Nos interpretamur* cum Hieronymo *ſimpliciter*, *quod* (hoſtes) *nullam occaſionem adverſus eum repererint, in quo regi obnoxius fuerit, eo quod fidelis eſſet, & omnis culpa & ſuſpicio non inveniretur in eo*, & paulo poſt. *Felix converſatio, in qua inimici nullam reperiunt occaſionem, niſi forte in legitimis DEI.* Tales & alii, qui, licet non fuerint circumciſi, Deum tamen Hebræorum venerati ſunt, ut Nebucadnezar, c. II. 46.47. III. 28.29. IV. 30. Darius. c. VI. 26.

§. 48. Habet Eccleſia ſuas *affectiones*, quæ ſunt I. *unitas*. Nam erat indiviſa in ſe, & diviſa à quovis alio cœtu. Dan. I. 8. Daniel & ſocii abſtinuerunt ſeſe à dapibus Regiis, ne forte polluerentur. Idem Daniel in precibus ſuis ſe vertebat verſus Hieroſolymam & templum, quod ſymbolum erat cultus Judaici, c. VI. 5.10. Socii ipſius maluerunt in ignem conjici, quam cum Ethnicis miſceri, c. III. 12.

§. 49. II. *Sanctitas*, & quidem *doctrinæ*; Nam abhorrebant à Gentiliſmo, ut modo audivimus, & verbum divinum habebant pro principio fidei, & credebant articulos in ipſo fundatos, uti hactenus multis exemplis probavimus, & porro probabimus. Doctrinæ ſanctitatem ſequebatur ſanctitas *cultus*. Nam DEum venerabantur; ut Dan. III. 17. Cultus Hieroſolymitanus appellabatur *exercitus cœli*, Dan. VIII. 10. explicante D. Luthero in gloſſa. Et conſiſtebat in ſacrificio quotidiano, & in loco ſacro, verſ. 11. 13. quibus verbis Propheta deſcribit cultum Novi Teſtamenti, more uſitato, quo res novi fœderis ſolent deſcribi verbis Vet. Teſt. olentibus. vid. Pap. ad Dan. XII. f.m. 245. A.m. Sanctitas *virtutum*, quæ & quanta fuerit, ſupra patuit, ubi de *renovatione* ad bona opera egimus, & ex factis jus ipſum, vel facienda oſtendimus. Erat inſignis *fides* & *fiducia* Dan. I. 8. ſeq. dum Daniel & ſocii ſibi certo promittebant luculentam formam ex victu dicente: *Incredibilis fidei magnitudo, non ſolum ſibi cor-*

pulentiam polliceri esu vitioris cibi, sed & tempus statuere. Non est ergo temeritatis, sed fidei, ob quam regias dapes contemserunt. Hieronymus h. l. ait. Confidebat idem, quod DEus somnium & somnii sententiam sibi esset revelaturus, & inde vitam conservaturus. c. II. 15. Cumque id impetrasset, Deum laudavit. X. 20. *Ne sui videatur meriti quod impetravit, refert ad Patrum justitiam, & ad veritatem DEI, qui seminis eorum etiam in captivitate miseretur.* Iterum dicit Hieronymus. Socii ipsius Martyrio etiam suo fidem contestati sunt: *Proinde & trina fraternitas quum dedicatio imaginis Regiæ urbem urgeret officio, non ignoraverunt quid fides, quæ sola in illis captiva non fuerat, exigeret, morientem scilicet adversus Idololatriam.* Scribit Tertul. advers. Gnost. cap. 10. Erat quidem populus *intelligens & faciens*, palam imperata faciendo. Dan. XI. 35. Sed & erga proximum suum amorem declarabant, ut Daniel, cum contristaretur ob Nebucadnezaris imminentem calamitatem. Dan. IV. 16. Sed & per se innocens erat innocentia saltem caussæ. Dan. VI 4. 5.

§. 50. Erat præterea sanctitas etiam *charismatum* divinorum, quæ vulgo vocantur, administrantium: Daniel & socii divinitus acceperunt eruditionem. Dan. I. 17. *nota, quod DEus dederit sanctis pueris scientiam & disciplinam secularium literarum in omni libro & sapientia*, monet Hieron. h. l. qui jam antea erant celebres sapientia Theologica, Theoretica, & practica. vers. 4. Accessit sapientia etiam in rebus occultis, vel inveniendis, vel explicandis. Dan. II. 18. seq. IV. 6. 15. VIII. 1. 3. Daniel intimat somnium, quod viderat Rex, & explicuit; Idem habuit *visiones* de rebus contingenter, (quoad nos) futuris, oculis divinitus elevatis; *Quamvis in somnis videantur, quæ videntur, in umbra videlicet, & imagine, tamen ne ipsa quidem videre possumus sine oculis elevatis.* ait Hier. ad Dan. VIII. Quomodo non semper omnibus elevabantur, Dan. X. 7. solus Daniel audiebat vocem, non socii, & *Paulus* (Actor. XXII. 9.) *Simile quid in Actibus Apostolorum passus est, ut cæteris non videntibus visionem solus aspiceret.* Idem observat ad l. cit. Quare mirum non est, quod Danielis sapientia adeo celebris fuerit, ut inde argumentum sumeretur. Ezech. XXVIII. 3. Eodem huc spectant etiam *miracula*, ut contigit cum tribus confessoribus. Dan. cap. III. 23. 24. *Grande miracu-*

lum

lum, legati mittuntur in fornacem, & cadunt in medium ignem præcipites, ardent vincula quibus legati sunt, & vinctorum corpora timens flamma non tangit. Scribit Hieron. ad l. cit. Nimirum miracula DEI sunt magna & potentia, vers. 33. & contingunt in cœlo, & in terra. cap. VI. 27. Homines interdum obstupefaciunt, non tamen extingunt officia. *Hoc est illud quod in Genesi de Abrahamo legitur, quod, postquam Dominum audierit loquentem, terram & cinerem se esse dixerit. Ergo Daniel ad visionis horrorem languisse & ægrotasse se dicit, & cum surrexisset, fecisse opera, quæ sibi à Rege fuerant imperata, reddens omnibus omnia.* Hæc idem.

§. 51. III. *Catholicismus.* Non rejiciebat Ecclesia Judaica, si qui ad ipsam sese convertebant. Nebucadnezar venit ad agnitionem propinguiorem veri DEI. Dan. II. 46. cap. III. 28. *Rursus ergo Nabuchodonosor DEI confessionem recipit, & damnatis idolis laudat tres pueros, qui noluerunt servire & adorare omnem DEUM, excepto DEO suo, & miratur, quod sanctus DEI ignis tangere non potuerit.* Hieron. h. l. Sed & Darius propius pedem admovit. Dan. VI. 25. 26. Quod vero ad Diabolos usque extendendum non est. Eodem Hieronymo loc. cit. improbante.

§. 52. Ecclesia vera suis quoque *scandalis* obnoxia est. Nam futuri erant, qui sanctum fœdus derelinquebant Dan. XI. 3. qua de re supra, ubi de peccatis, egimus. Quare suis quoque persecutionibus & calamitatibus obnoxia erat, vel esse debuit. Fatetur Daniel cum suis sanctis, qnod inique egerint, & impie, & desciverint à DEO, quare mirum non esse, si pœnas dent. vers. 7. *Juste enim patimur quod meremur,* Hieronymus notat. Motores autem istarum persecutionum erant *Diaboli.* Dan. X. 13. Princeps Persiæ Diabolus resistebat bono Angelo, quo minus imperata perageret. Et, instrumenta Diaboli, *homines* Ethnici, Judæi, & Pseudochristiani. Dan. III. 8. inventi sunt homines invidi, qui accusarunt confessores inobedientiæ, & effecerunt, ut in ignem conjicerentur. Daniel ipse in lacum leonum conjectus est. cap. VI. 16. Antiocho quoque permissurus erat DEUS, ut sanctos persequeretur. Observabimus est istud, quod duplex Antiocho sive cornu isti parvulo potestas tribuitur :: una quidem

 „in

,, in corpora & vitam sanctorum; altera vero, & quidem magis extimescenda, contra ipsum jugem cultum, habitaculum ,, sanctuarii, ipsamque veritatem. Quod notandum est, ne cum ,, hominibus profanis & servis offendamur, dissidiis doctrinæ, ,, variisque hæresibus, & sectis exorientibus, quæ veritatem in ,, terram dejicere conantur. Juratus enim ille hostis noster Diabolus non tantum appetit nostra corpora, aut facultates, ut illis noceat, sed multo magis nocere animis nostris, & æternæ ,, vitæ consequendæ instrumentis, h. e. vera DEI cognitione nos ,, orbare cupit. Ita Pap. ad *Dan.* VIII. f. m. 231. A. fin.

§. 53. Maxime vero *Antichristo* tribuitur, quod Ecclesiam *DEI* sit persecuturus. Antiochus enim etiam in hoc typus ejus erat. Hieronymus notat ad Dan. VII. *Præliabitur enim*, ajens, *Antichristus contra sanctos, & superabit eos, in tantamque erigetur superbiam, ut leges DEI & ceremonias mutare conetur, & elevetur supra omne quod dicitur DEUS, religionem cunctam suæ subjiciens potestati.* Respicit ad 2. Thess. II. 4. Apud *D*anielem eadem ipsius crudelitas exprimitur, cap. XI. 44. *Veniet in multitudine magna, ut conterat & interficiat plurimos*; & cap. XII. 1. *Et veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud.* Nimirum sicut persecutiones in Antiocho præcesserunt, ita docet *in Antichristo ex toto esse complenda.* ait Hieron. quippe qui futurus erat hostis *D*EI, adversus quem locuturus erat. Et adversus homines *DEI*, & qualescunque eorum status, œconomicum atque politicum. De quo inferius.

§. 54. Addendæ sunt *calamitates* aliæ, quæ innuuntur, Dan. XII. 1. quod tempore Antichristi futuræ sint tantæ quantæ unquam, & jam ante illa tempora tumultuabantur venti variorum imperiorum. c. VII. 2. *Qua ventorum pugna, & maris perturbatione turbulenta, & inquieta omnium imperiorum gubernatio depingitur.* Scribit Pappus h. l. Talis turbo fuit, quando Joachim cum vasis in manus Nebucadnezaris tradebatur, & Daniel cum sociis in captivitatem abduceretur, cap. I. 2. seqq. Idem Daniel ad aliquot dies erat infirmus, & ægrotabat, Dan. VIII. 27. quanquam non passus fuerit aliquid suo officio decedere. Neque semper dissimulabat *DEUS* imminentia mala. Nam, ne quis aureum

seculum

feculum fibi pofthac promitteret, revelavit futura mala. Dan. VIII. 2. feq. vide Pap. h. l.

§. 55. Sua tamen & *remedia* habet *DEUS*, quibus malis occurrit, ut vel tollantur, vel leniantur, & hoftes confundantur, Ecclefia vero juvetur, & confervetur, interdum etiam per ipfos hoftes & calamitates. Dan. I. 4. feq. Hebræi quidem difcere jubentur fapientiam Chaldæam, fed hoc ipfo arma ipfis fubminiftrabantur adverfus gentiles, vide Hieron. ad h. l. & ad verf. 9. In mediis flammis confpiciebatur *DEI* Filius, ut homo, qui vim ignis reftinguebat, ut incolumes evaderent confeffores. cap. III. 25. feqq. Danielem in lacum leonum conjici permifit Deus, fed idem iisdem rictus obftruxit, quo minus innocentem difcerperent. cap. VI. Elapfis LXX. hebodamadibus, à Jeremia prædictis, Hierofolyma erant reftauranda. Dan. IX. 25. 26. Vaftatori facrorum Antiocho ruina prædicitur. Dan. VIII. 13. 14. confer Hieron. comment. ad Dan. VIII. lit. D. & G. Sicut in folatium Judæorum captivorum ruina regni, & ufus ratione prædicta eft Regi, qui abftulerat vafa templi. vid. Juftin. Mart. vel quisquis auctor eft quæft. & refp. ad orthod. num. XLIV. Refp. Beftia occidenda in ignem conjicienda videtur. cap. VII. 11. Antichriftus habiturus eft finem, nullum vero auxilium. cap. XI. 45. confer Juftin. Martyr. dial. fol. 263. Ipfi autem pii variis calamitatibus expurgantur, & puriores fubinde redduntur, ut metallum, igne excoctum. Dan. XII. 10. *Primo ait* (Propheta) *pios calamitatibus purgari, ficut à frumentis quisquiliæ, aliæque fordes inter triturandum excutiuntur. Quemadmodum igitur pura grana feparari à quisquiliis illis & fordibus non poffunt, nifi tritura interveniente: Ita crux & calamitas purgat & mundat pios five credentes ab illis ὑστερήμασι σαρκὸς, quæ eos fpiritu promptos ab obedientia mandatorum DEI retrahunt.* Ita Papp. ad Dan. XII. fol. m. 245. adde feqq.

§. 56. Idem Deus *mala*, quæ permittit, ita *temperat* & dirigit, ut in bonum finem vergant, Dan. I. 2. permifit vafa facra in manus Nebucadnezaris venire, fed fervavit ufque ad Cyrum, qui gloriofe reddidit. vide Gejer. ad h. l. Idem c. II. 1. feqq. denegavit Chaldæis fapientibus notitiam fomnii regii, contra eandem largitus eft Danieli, ut confunderetur fuperftitio, Ethnica, Ec-

clesia Judaica vero glorificaretur. vid. Hieron. ad Dan. II. 13. seqq. Fecit & ut sanguinarium Regis decretum differretur. cap. II. 16. Ne desperarent Judæi DEUS revelavit somnium de IV. Monarchiis. Dan. VII. 1. seq. Urbis & templi restaurationem DEus aliquandiu impediri passus est, ut eo calidiores essent preces Danielis. Dan. IX. 2. 3. seq. Nimirum, Nazianzeno dicente, precibus πᾶν ἀγαθὸν ἄρχεται, καὶ εἰς τέλος ἔρχεται, *omne bonum incipit, & ad finem pervenit.* Unde simul patet, quod sit ordo aliquis, quem observare debet homo, ut talis sit malorum bonus eventus. Cum Daniel accepisset de regio somnio, existimavit DEUM esse precibus solicitandum, ut illud cum sua sententia revelaret, quod & factum est: *Non quo tractatione & sagacitate mentis occulta perquireret, sed quo occultorum Dominum precaretur, & ideo Ananiam & Misaelem & Asariam jungit, ad preces, ne solus de suo merito videatur præsumere, ut quorum erat commune discrimen, communis esset & oratio.* ait Hieron. Idem Daniel ter interdiu DEum precibus adorabat, ut populus captivus tandem in libertatem restitueretur: *Per quæ tria tempora dum Daniel DEO sedulus supplicaret, impetravit non solum præscientiam futurorum, sed & captivæ diu gentis meruit libertatem*, ait Chrysol. Serm. XXI. Idem obtenta petitione Deo agebat gratias, cap. II. 20. quod DEUS præcepit, Psalm. L. 15. vid. B. Papp. ad Dan. II. 20. Nec existimandum est, si quid est prædictum, quod ideo officium precum sit negligendum. *Prædixerat Jeremias LXX. annos desolationis templi, post quos rursus veniret populus in Judeam, quæ res Danielem non facit negligentem, sed magis provocat ad rogandum, ut, quod DEUS per suam promisit clementiam, per horum impleat preces &c.* edisserit Hieron. ad Daniel. IX. 2. 3. confer ad vers. 20. fol. 278. D. ad vers. 23. fol. 278. E. pr. Idem effecit, ut socii Babyloniæ præficerentur, ipse vero in aula mansit: Id quod contra Porphyrium defendit Hieronymus idem in comment. f. 270. B. Sed nec infinitum est tempus, quod DEUS dat persecutionibus, sed definitum est, quo impleto, cessare fierit ac à malo. Dan. VII. 25. XII. 7. vide D. Pap. h. l.

§. 57. Habent res suos dies etiam novissimos, ut videre est ex Dan. II. 29 *Quod si ita legitur, solicitius requiramus, ubi dies novissimi scripti sint, & redarguamus eos, qui mundum non putant*

tant esse periturum Nunquam enim dies appellarentur novissimi, si mundus esset æternus. Argumentum est B. Hieronymi ad Dan. loc. cit. Sunt autem novissima alia vitæ, alia mundi totius: vitæ est *mors*, & quidem corporis; Nam anima est immortalis. Dan. II. 4. vide B. Dn. D. Gejer comment. ad loc cit. describitur per *abitum*. Dan. XII. ult. Corpus autem hoc tandem *resurrecturum* est ex suo sepulchro, id quod clare apparet ex Dan XII. 2. & Danieli quoque assignatur. vers. 13. Colligitur idem ex promptitudine moriendi Judæorum, quippe credentium, sua corpora aliquando resuscitatum iri Dan. III. 12. Nec non ex *æterno* Christi regno. Regnabit enim Christus vivus, qui pridem moriturus erat, vivus erit ergo & Christus, & vivi subditi, quibus imperaturus est. vide Dn. D. Gejer. ad Dan II. 45. porism. 3. Innuitur vero quo ipso tempore resurrectio sit futura, nempe in novissimo die, Dan. XI. 58. *quo verbo ostenditur, omnem prophetiam vicinam esse resurrectioni omnium mortuorum, quando & Propheta surrecturus est*; Colligit Hieronymus adversus Porphyrium. Confer Man. Calec. d. princ. fid. auctar. II. BB. PP. f m. 277. B. Eodem hoc novissimo tempore erit *Judicium extremum*, de quo scripsit Daniel cap. VII. 10. & accurate descripsit ejus formam, cum quo confer Apocal. XX. 12. & quæ habet idem Caleca. f. 276. & 277. D. Pap. comment. in Dan. loc. cit. fol m. 224. B. Judex erit DEUS omniscius, justus, sanctus; & ejus omniscientia, sed & hominis cujusvis conscientia, erit liber aperiendus. Judicium erit penes sanctam Trinitatem, adeoque & *Antiquus dierum* memoratur, tanquam qui in gratiam sanctorum *Altissimi* judicium est adornaturus, idque justissimum, quod docent circumstantiæ, ad justitiam judicii requisitæ. *Judicandi* erunt omnes homines sive boni, sive mali. cap. XII. 2. Sententia erit partim absolutio & salvatio piorum, partim condemnatio impiorum. Judicabuntur autem à Filio DEI etiam secundum ejus humanam naturam, secundum quam à Patre suo accepit potestatem divinam etiam judicandi omnes homines. cap. VII. 13. 14. *Adventus* ejus erit ut terribilis igne ita & solatifluus luce. Dan. VII. 10. *Thronus* erit æternus, & maturus quasi ad judicium. vide B. D. Pap. comment. h. l. Sancti erunt *Assessores*, Luc.

XXII. 3 1. Cor. VI. 2 cum Matth. XIX. 28. confer & Matth. XIX. 28. Apocalypſ. XX. 12. & Dn. D. Calov. comment. ad Dan. VII. fol. 618. B. Servient Angeli, Dan. VII. 10. vid. Pap. 224. A.

§. 58. *Conſummatio* ſeculi. Dan. II. 34. ea innuitur, dum prædicitur lapis ſine manu de monte abruptus, qui omnia regna comminuet, hoc vero fiet, cum mundus *conſummabitur*. vide Hippol. de conſumm. ſec. t. II. Bibl. PP. fol. 6. in auct. I. PP. fol. 52. Dies habituri ſunt *finem*, cum mundus conſummabitur. cap. XII. ult. Vapulat autem Apollinarii computus, in quem „invehitur Hieronymus, dicens: Apollinarius Laodicenus omni „præteritorum temporum ſe liberans quæſtione, vota extendit „in futurum, & periculoſe de incertis profert ſententiam. Quæ „ſi forte hi, qui poſt nos victuri ſunt, ſtatuto tempore com- „pleta non viderint, aliam ſolutionem quærere compellentur, „& magiſtrum erroris arguere. Dicit ergo, ut verbum è ver- „bo interpreter, ne calumniam videar facere non dicenti: In „quadringentis nonaginta annis peccata, & omnia quæ ex pecca- „tis orientur vitia, comprimenda; poſt quæ ventura ſint bo- „na, & reconciliandum DEO mundum in adventu Chriſti Fi- „lii ejus. Ab exitu enim verbi, quando Chriſtus de Maria „generatus eſt virgine, uſque ad quadrageſimum nonum an- „num, i. e. finem 7. hebdomadum, Iſraëlis expectatam pœ- „nitentiam. Poſtea vero ab octavo Claudii Cæſaris anno, con- „tra Judæos Romana arma correpta. Triceſimo etiam juxta „Evangeliſtam Lucam anno ætatis ſuæ, cœpit in carne Domi- „nus Evangelium prædicare, & juxta Johannem Evangeliſtam „per tria paſchata duos poſtea implevit annos, & exinde ſex „Tiberii ſupputantur anni, & quatuor C. Cæſaris cognomento „Caligulæ, & octo Claudii, i. e. ſimul anni 49, qui faciunt „hebdomadas annorum ſeptem, cum 434. anni poſt hoc fue- „rint evoluti, i. e. 62. hebdomadæ, tunc ab Helia, qui ventu- „rus eſt, juxta ſermonem Domini Salvatoris, ut reſtituat cor „Patrum ad Filios, in ultima hebdomada ædificandam Hieru- „ſalem, & templum, per annos 3. & ſemis, venturumque An- „tichriſtum, &, juxta Apoſtolum, ſeſſurum in templo DEI,

„&

„, & interficiendum spiritu Domini Salvatoris, postquam con-„, tra sanctos dimicaverit, atque ita fieri, ut media hebdomada „, confirmet testamentum cum sanctis, & rursum media cessatio-„, nem victimarum esse pronunciet sub Antichristo, qui ponet „, abominationem desolationis. i. e Idolum & statuam proprii „, DEI in templo, & erit extrema vastitas, & condemnatio po-„, puli Judæorum: qui spreta veritate Christi, receperunt Anti-„, christi mendacium. His verbis præmittit Apollinarius diei ex-tremo Antichristi, nescio cujus, adventum, & intermedios inter-serit annos, quos alii interpretes nesciunt. Nos de Antichristo inferius certiora quædam, DEO dante, dicemus. *Cesset mille annorum* fabula. Rotunde ait Hieronymus in comment. ad *Dan.* VII.

§. 59. *Finis* & *complementum* horum omnium erit, & quidem ex parte Electorum, salus æterna, ex parte vero reproborum, æterna condemnatio. Electi, quorum nomina in libro invenientur divini ordinis & prædestinationis, ibunt in *vitam æternam*. Dan. XII. 1. 2. conjunctam cum æterna gloria & honore; quæ vero gloria suos *gradus* habebit. Nam Doctores lucebunt sicut cœli splendor, & qui multos ad justitiam adduxerunt splendebunt ut stellæ in perpetuum. v. 3. Matth. XIII. 43. Sicut autem diversa est claritas solis, lunæ, stellarum, ita & Electorum. 1. Corinth. XV. 40. seqq. vide Fulgent. in resp. ad Arian. f. m. 446. Ex recentioribus D. Pap. comment. ad loc. cit. Dan. Ex parte autem reproborum erit *æternum dedecus & ignominia*, caligo, mors, & alia infinita mala. vers. 4. Dan. XI. vide Man. Calec. t. II. auctar. PP. f. 282. C D.

§. 60. Ecclesiæ veræ opponitur (1.) *Ethnicismus*: in quo considerandi sunt 1. *doctores*, qui fuerunt: genethliaci, sophi, arioli, Chaldæi, Astrologi, divinatores, vel alio nomine dicti sapientes, à Nebucadnezare evocati, eo fine, ut somnium, quod ipsi exciderat, revelarent, & explicarent. Dan. II 2. seqq. Istorum hominum fit mentio etiam cap. IV. 4. Ubi itidem introducuntur, ut ministri somniorum vatidicorum explicandorum. Ut & cap. V. 7. seqq. ubi Belsazer eosdem desiderat, sine dubio, quod illud esset eorum officium, vel certè ipsi

talem scientiam jactarent. Quibus publicis *Doctoribus* accenseri possunt alii patroni, & promotores religionis Ethnicæ: Talis fuit ipse Nebucadnezar, quando proposuit colossum, seu idolum, à suis subditis adorandum. Dan. III. 1. seqq. Talis & Antiochus Epiphanes, qui prædicitur fovere apostatas. cap. XI. 30. seqq. Talis etiam Belsazer, quando Scripturæ explicandæ gratia evocavit vanos suos Chaldæos. *Oblitus eorum, quæ Nabuchodonosoro acciderant, antiquum & inolitum suæ gentis sequitur errorem, ut non Dei Prophetam, sed Magos, & Chaldæos, & haruspices vocet.* scribit Hieron. ad Dan. VI. 8.

§. 61. (2) *Membra*, seu Auditores, erant Ethnici ipsi, Idololatræ, & variis vitiis aliis contaminati, Reges, Principes, Domini, Ministri, Masculi, & Fœminæ, Adultiores, & juniores. Dan. *III.* 1. seq. Nebucadnezar curat fieri idolum ingens, & ad ejus cultum & dedicationem evocat suos Satrapas, Magistratus, Judices, Duces, Quæstores, Præfectos, & universos Principes provinciarum: omnes item populos, tribus, & linguas; vers. 4. qui omnes velut Ethnici coram Idolo prociderunt, cum Musica sonaret, & juxta mandatum Regis illud venerati sunt. v. 7. Rex Belsazer quoque convivium paravit suis Magnatibus & Ducibus, eidemque adhibuit suas quoque concubinas, & afferri jussit vasa DEI sacra, spretoque hoc laudavit suos Deastros, tanquam potentiores vero *DEO*. Sic & illi cum suo Rege & Domino.

§. 62. (3) *Doctrina & cultus* abhorrebant à vera fide & cultu, & congruebant cum errore, & varia idololatria. Modo audivimus, quod Belsazer cum suis laudaverit Deastros suos aureos, argenteos, æneos, ferreos, ligneos, & lapideos. Quæ laus sine dubio fuit religiosa, publica, hilaris, forte & hymnis condita, qua suos *Deastros* veros esse Deos tradebant, utpote potentissimos, Israëlitarum vero *DEUM* esse falsum, utpote infirmum, cujus populus sit victus, templum destructum, & vasa ablata. *Quapropter & hic intelligi potest tum commendatio per certas compositas cantilenas, tum per discursus promiscuos, quibus facta Numinum Chaldeorum diversimode & allata, & cum factis Israelis DEI collata, & iisdem etiam longè prælata* *fue-*

fuerunt, adjunctis varijs, ut apud Ebrios fieri solet, scommatibus conviciisque. Ita B. Dn. D. Gejer. comment. ad Dan. V. 4. Ante hac Nebucadnezar Idolum parari curaverat,& subditis suis ad cultum proponi, sub comminatione mortis, ausus erat. cap. III. 1. seq. Quid cultores isti fecerint, ibidem vers. 7. legere est.

§. 63. Qualis erat doctrina & cultus, talis etiam erant *mores.* Referri possunt hi ad duo capita, nempe mendacium & crudelitatem. Dan. III. 2. seqq. Nebucadnezar jubet suum idolum coli, adsunt invidi nonnulli, qui socios Danielis deferebant, apud Regem, velut contemptores mandati regii, & religionis, Rex excandescit, &, cum frustra se esse verbis videret, jubet confessores istos in immanem fornacem conjici, quod & factum est. Tales mores erant etiam istorum, qui Danielis religionem calumniabantur. Nam tale præceptum à Rege elicuerunt, per quod non licebat religioso Danieli tuto esse, quo minus in foveam leonum conjiceretur. cap. V. 6. 10. seqq. Daniel erat persona publica, & à regibus cum Chaldæis, tum Persicis in sublimi loco collocata. vide cap. II. 49. V. 19. VI. 2. seq. quare debuissent eum, inferiores maxime, in pretio habere, sed secus contigit. Dan. IV. 24. Consulit Daniel Regi, ut sua ipse peccata amputet, justitia, & abdicet suas iniquitates, erogata in pauperes eleemosyna. Unde colligitur, Regem hactenus peccatis fuisse vinctum & mancipatum, iisque cum adversus DEum, tum adversus proximum. Neque probaverim ego per omnia petitum Regis & mandatum, quo voluit fugitivum suum somnium aut revelari & explicari, aut Chaldæos ignorantes occidi. cap. II. 5. seqq. Sicut nec rapinam istam vasorum sacrorum, ex templo *DEI* factam, & captivitatem quorundam Judæorum etiam piorum & egregiorum. cap. I. 2. seqq. Etiamsi enim *DEUS* manum suam illo in malo haberet, tamen etiam in eo peccare possumus, quod, *DEO* permittente, vel dirigente, facimus. Belsazer concubinas suas habuit, cum quibus & compotavit, id quod cum vera castitate & sobrietate conciliari non poterit, cap. V. 2. seq. Doli & fraudes Græculorum, etiam Regum, in vulgus noti sunt. vide Dan. VIII. 25. XI. 6.

17. &c. Ex his & ſimilibus operibus videre eſt, qui ſint fructus falſæ doctrinæ & religionis.

§. 64. *Quare mirum non eſt, quod DEUS varias pœnas & calamitates adverſus ipſos vel immiſerit, vel permiſerit.* Sapientes ſuos Nebucadnezar juſſit interfici. Dan. *II.* 12. 13. Ipſe Rex, inſolentior factus, de rationis uſu & regno dejectus eſt. cap. IV. 27. Belſazer conſpecta mirifica manu totus cohorruit. cap. V. 6. Perſecutores *D*anielis in lacum leonum conjecti ſunt. Dan. V*I*. 24. Imperia eminentiora ſuas habitura erant periodos, & ſinguli reges ſua quoque nonnunquam infelicia fata. vide cap. II. 34. V*II*. 4. ſeq. V*III*. 4. 20. ſeqq. Hæc certe & ſimilia facta alia non putanda ſunt forte fortuna contigiſſe, aut gratis accidiſſe, ſed erant peccata & aliæ cauſſæ, propter quas iſthæc ita miſit, & permiſit, vel direxit *D*Eus, qui omnium conſcius eſt, etiam intimorum peccatorum & contingentium.

§. 65. Non tamen plane deſeruit *DE*us gentiles iſtos, quo minus nonnunquam radios ſuæ clementiæ, juſtitiæ, providentiæ emitteret, atque ita ad veram Eccleſiam, & pœnitentiam eoſdem evocaret. Actor. X*IV*. 17. ſeq. & XV*II*. 24. negat Apoſtolus, quod *DEUS* ſemet ipſe reliquerit ſine teſtimonio, quin bene hominibus faceret, & de cœlo quoque idoneas tempeſtates largiretur, & corda impleret alimentis & gaudio. Quod & ex mundi creatione ejusdemque gubernatione deprehendere poterant. *I*dem Ethnicis etiam hujus ætatis & temporis præſtitit. Nebucadnezari *DEUS* largitus eſt inſignes victorias & permiſit Judæos ſubigendos, & lautam aulam conceſſit. Dan. I. 2. 4. ſeq. Eundem fecerat ut arborem aliquam inſignem, cap. IV. 18. 19. ſeq. V. 18. 19. Belſazari dederat avi ſui ſpolia, propinavit, ut ſic loquar, vinum, ſubminiſtravit cibos, & alia. cap. V. 1. ſeqq. quo hæc, & ſimilia alia, fine alio, quam ut ea DEI longanimitas ad pœnitentiam & humilitatem eum adduceret? Rom. II. 4. ſeq.

§. 66. *Majora* erant beneficia, quod DEUS illis Ethnicis donaverit Judæos, ut ex ipſis veram religionem addiſcerent, & verum Deum agnoſcerent. Dan. I. 2. In ejusdem gratiam ſubtraxit Chaldæis ſapientulis notitiam ſomnii, nempe ut hoc ipſo agno-

ſceret vanitatem ſui Ethniciſmi. *Fruſtra igitur ab hominibus quæris in terra, quod DEUS ſolusnovit in cœlo. Et occultè retrahens eum à multorum Deorum cultu, ad unius DEI notitiam dirigit.* ſcribit Hieron. ad Dan. II. 28. Eodem digitum intendit Daniel, verſ. 27. 28. quando ait, DEUM Regi futura oſtendere: *Rurſum revelationem ſomnii non ſui dicit meriti, ſed ut interpretatio Regi manifeſta fieret, & doceret Regem, quod DEUS ſolus eſſet colendus*, & ad cap. III. 1. ubi recenſetur hiſtoria Idoli Babylonici, notat: *Datur per occaſionem captivorum Barbaris nationibus ſalutis occaſio, ut qui primum per Danielis revelationem potentiam cognoverant unius DEI, in trium puerorum quoque fortitudine diſcant mortem contemnere, & idola non colere.* ait Hieron. in Dan. III. 1. Qui & Danielis verba ad Belſazerem ita circumſcribit: *Et tu, cum hæc de parente cognoviſſes, & ſcires, quod ſuperbis reſiſtit DEUS, humilibus autem dat gratiam, non debueras adverſus dominatorem cœli elevare cor tuum. & inſultare majeſtati illius, & ea facere, quæ feciſti*: confer ad cap. VI. 1. & 25. Ex his & ſimilibus conſtat, quod de verbo divino extiterint egregia documenta etiam inter medios Ethnicos, per quæ DEUS teſtabatur, ſe eſſe colendum, & metuendum. Quanquam non negem, bonis hiſce ſua quoque mala fuiſſe admiſta. Dan. I. 2. Nebucadnezar refertur in domum Belis ſui retuliſſe vaſa Domini, *in eo, ut laudandum eſt qualecunque pietatis & modeſtiæ in uſurpanda victoria ſtudium, quod videlicet res ſacras, neque ſuæ luxuriæ inſtrumenta facit, neque ſuorum avaritiæ diripienda permittit. Ita dedicatio hæc vaſorum cum impietate & blaſphemia conjuncta fuit. voluit enim illa dedicatione vaſorum publicè proteſtari, non modo populum Judaicum à ſe victum eſſe, ſed DEUM etiam Judæorum longe inferiorem eſſe, quam qui Babyloniorum Dijs potuerit reſiſtere.* Ita B. Dn. D. Pap. ad Dan. I. 2. Nec progrederer eo, ut cum Anaſtaſio Nicæn. quæſt. in ſcript. fol. m. 29. t. BB. PP. dicerem, *Nabuchodonoſor vocavit Balthaſarem convenienter DEI ſui nomini, quoniam in eo vidit Spiritum ſanctum.* Mallem dicere, ab idolo ſuo, Bel, ita ipſum vocaſſe, & quaſi hoc ipſo dedicaſſe.

§. 62.

§. 67. His accedunt charismata, ut fuerunt somnia, visiones, miracula, & somniorum interpretationes. Nam & ex his argumentis haud obscure conjicere poterant, quod melius & sublimius aliquid de DEO sentiendum sit. De somnio, Nebucadnezari divinitus immisso, legere est Dan. II. 1. seqq. & de altero, lege cap IV. 8. seqq. *Vidit Rex impius somnium futurorum & interpretante sancto quod viderat DEUS glorificaretur, & captivorum Deoque in captivitate servientium sit grande solatium*, notat Hieron. ad Dan. II. 1. Eodem tendit Daniel, quando cap. II. Regi ait, non esse humanarum virium tale quid nosse, sed DEI; *Tollit quoque Regi pravam suspicionem, ne humana æstimet inveniri posse solertia quod DEI solius notitiæ reservatur.* Idem ait, loc. cit. Sed & Belsazer aliquam habuit visionem, quam Daniel ipsi interpretatus est, cap. V. 5, 6. Cui, ut & aliis interpretationibus subinde immiscuit monita divina, quod DEUS exinde sit agnoscendus, timendus, & reverendus.

§. 68. Ecclesiæ veræ porro opponitur II *Antichristianismus*, qui *nomen* habet ab Antichristo, cujus (1.) *typum* gessit Antiochus, cum ipso Antichristo non confundendus, ut fecit Porphyrius, conquerente Hieronymo: *quæ in consummatione mundi de Antichristo futura dicuntur, propter gestorum in quibusdam similitudinem sub Antiocho Epiphane impleta contendit*, scil. Porphyrius,

Epist.

Epist. ad Pammach. & Marcell. Sed distinguendus est, distingente ipso Spirito Sancto. Dan. XI. 36. seqq. XII. 1. seqq. confer Matth. XXIV. 21. seqq. 2. Thes. II. 3. seqq. Ejus (2.) *Futuritio* certa est. Nam DEUS per Prophetam prædixit, & ea scribit curavit quæ non cadunt, nisi in ens revera futurum, & existens. *Cætera, quæ sequuntur usque ad finem voluminis Ille* (Porphyrius) *interpretatur sub persona Antiochi, qui cognominatus est Epiphanes, frater Seleuci, filius Antiochi Magni, qui post Seleucum undecim annis regnavit in Syria, obtinuitque Judæam, sub quo legis DEI persecutio, & Maccabeorum bella narrantur. Nostri autem hæc omnia de Antichristo Prophetari arbitrantur, qui ultimo tempore futurus est,* ita Hieron. ad Dan. XI. 21. seqq. Ex quibus verbis saltem hoc patet, quod aliquis Antichristus fuerit futurus. Cujus (3.) quasi *natura* & *genius* graphice describitur, ut unius quidem personæ, sed quæ non excludit plures successores. Id quod videre est ex diversis prædicatis, & operibus, de quo alibi. Opera autem ipsius, & ipsum adeo genium numerat & expendit noster Pappus, quod sit (Dan. XI. 36. seqq.) *facere secundum voluntatem suam: secundo efferre & magnificare sese super omnem DEUM, & contra DEUM Deorum loqui mirabilia, ac ne DEum quidem Patrum suorum curare. Tertio prosperari, & successus felices habere definito tempore. Quarto desiderium mulierum negliegere. Quinto idololatriam multiplicem exercere. Sexto eandem illam idololatriam largitionibus & vi externa corroborare.* Ita recenset D. Pappus, & monet: *has notas diligenter considera-*

re oportet. Quod fiet, ſi contulerimus notas iſtas cum *doctrina* religionis alicujus publica, & recepta, aut ſaltem non improbata, & cum *factis*, quæ doctrinæ affinia & congrua ſunt, & revera vel perpetrantur, vel permittuntur, vel jactantur, quæ collatio ſi cum ſcriptura hujus & aliorum locorum ſine paſſionibus facta fuerit, facile dabit, quis ſit Antichriſtus. (4.) *Circumſtantia loci & temporis*, ex cap. XI. 45. & 36. Antichriſti nimirum ſedes erit inter duo maria, quæ ſunt circa ſanctum Eccleſiæ montem, durabit etiam ille donec venerit tempus, à DEO definitum, quo finem habiturus, & gladio Dominici oris conficiendus eſt, quidquid etiam paraſtatæ egerint, quod complementum ſuum conjunctum erit cum die extremo, quo mortui reſurgent, & judicium ultimum habebitur, in quo quisque accipiet, quod ipſi DEUS vel promiſit, vel comminatus eſt. (5.) *Status Eccleſiæ ſub Antichriſto futurus erat miſer & miſerabilis.* Omiſſis aliis probationibus, vel unicum ſufficit, quod tanta fore miſeria prædicitur, qualis non fuerit à condito orbe. Dan. XII. 1. Matth. XXIV. 21. Cum, contra, Antichriſtus erga ſuos ſeſe admodum benignum geſturus, cap. XI. 39. quanquam & ipſe ſuos inimicos habiturus ſit, qui repræſentantur per Regem Auſtri, X. 20. qui CHRISTUS eſt, cujus impulſu inſignes viri Antichriſto ſeſe oppoſituri ſint. Sicut viceverſa neque Eccleſia DEI omnino ſit delenda. verſ. 41. quia ſuperfuturi ſint quidam fideles, ſimiles quibusdam Edomitis, Moabitis, & primitiis filiorum

liorum Ammon. (6.) *Remedium præstantissimum erit DEI verbum, & adventus CHRISTI gloriosus.* Nam CHRISTUS conficiet eum gladio sui oris, quod est DEI verbum, & adventu ultimo. 2. Thess. II. 8. Jes. XI. 4. Apocal. XIV. 6. 7. Qui adventus ut maturè fiat, votis ardentibus suspiramus!



Ad Pereximium

Dn. Respondentem suum.

UT medios inter rictus unguesque leonum
Supremo Daniel Numine tutus erat:
Sic inter medios hostes Ecclesia Christi
Permanet, & requiem gaudet habere suam:
Donec ab æterno revocetur ad æthera Rege,
Et referat fidei præmia digna suæ,
Æternam requiem, quam nulla pericula turbant;
Nam jacet in brachiis, Christe, recepta tuis:

Quæ

Quæ, cognate, Tibi quoque comprecor
esse benigna
Quondam, quod fiet, quando beatus
eris.
Interea mecum verbis defende, quod ist-
hæc
Sit fidei, & nostræ summa caputque
spei.

Benevolentiæ E. fecit
Exercitii Præses.

